

DISSERTATIONVM
IVRIS ECCLESIASTICI
DE
INDOLE CAVSARVM
ECCLESIASTICARVM
PRIMA
DE FVNDAMENTIS
EARVNDDEM

QVAM
MAGNIFICO ICTORVM ORDINE
PERMITTENTE
PRO LOCO IN EO RITE OBTINENDO

AD D. XXIV. FEBR. A. CIO ICCC XXXV.

IN AVDITORIO PETRINO
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
PVBLICO EXAMINI

SUBMITTET

GOTTFRIDVS LEONARDVS
BAVDIS D.

POTENTISSIMO REGI POLONIARVM ET ELECT. SAXON.
A CONS. APPELLAT. CONSISTORII LIPS. ASS.
ET CODICIS P. P.

RESPONSVRO A MERIDIE
GOTTFRIDO LEONARDO BAVDIS A. M.
LIPS.

Coll. diss. A
5, 49

LIPSIAE
LITERIS BREITKOPFIANIS.

ff

a. V. 49.





CONSPPECTVS.

§. I. Contentionum de Jurisdictione Ecclesiastica classes indicatæ et earum historia strictim exposita. Transitus ad CAVSAS ECCLESIASTICAS. Definitio generalis. §. II. argumentum tractandorum. Earum indolem generatim cognosci ex constitutione Ciuitatis, Ecclesiae, et originibus Jurisdictionis Ecclesiasticae. §. III. Structura ciuitatis, unde §. IV. consectaria ad præsentem rem facientia derivantur. §. V. Quid sit Ecclesia? §. VI. Eam incipere ab interna et inuisibili, cuius natura exponitur. §. VII. Quomodo ab illa procedat externa et visibilis. Accidente consociatione constitui particularem, quæ vel priuata vel publica. Particularis tria genera indicantur. Particularis priuata primi generis intuitu loci, personarum, materiae, potestatis, modi et finis examinatur. §. VIII. Locum per usum sacrorum non subtrahi imperio; §. IX. nec personas in societatem sacrorum causa coeuntes. §. X. Diuiso in docentes et auditores. Muneri docentis nihil Imperii vel Jurisdictionis civilis inesse. §. XI. Materiam cultu externo, disciplina et bonorum communium administratione absolui. §. XII. Potestatem aut constitutionem coetus, aut agendi modum respicere, illam cerni in coalitione et distributione muniorum. Coalitionem fieri pacto: de ea locus TERTVLLIANI. §. XIII. Constitutio Pastorum quo sensu dicatur iuris diuini? §. XIV. Modus agendi circa verbum et sacramenta. Synodi trium primorum seculorum compromissariae. §. XV. Modus agendi circa ritus. Liturgiae pro diversitate Ecclesiarum variae. §. XVI. Locus TERTVLLIANI expensus. Confoederata disciplina. §. XVII. An ex hac fuerit excommunicatio maior, cuius natura inuestigatur. §. XVIII.

§. XVIII. Ecclesiam libere adquirere et bona sua administrare §. XIX.
Finis illius duplex. §. XX. Eam nulla Iurisdictione pollere. §. XXI. Particulares priuatae inter se origine aequales. Commentum de divisione Prouinciarum a Christo et Apostolis factæ reiectum. Subordinationio ante Constantimum M. tantum voluntaria. §. XXII. Utitas considerationis priuatae particularis demonstrata. §. XXIII. De particulari publica. §. XXIV. Ex compositione particularium primi generis, particulares secundi et tertii generis nasci. Singulas sub Imperio, in cuius ditione sunt, manere. §. XXV. Universalis Ecclesiae constitutio, ex cuius natura ostenditur, eam regimine universali externo destitui. De conciliorum oecumenicorum inde et auctoritate digressio. §. XXVI. Originem Iurisdictionis Ecclesiasticae nec a Christo nec ab Apostolis esse. §. XXVII. Cognitionem Episcoporum ante Constantimum M. tantum compromissoriam fuisse. STRAVCHIVS notatus. §. XXVIII. A Constantino M. coepisse quidem forensem, sed tantum compromissoriam. §. XXIX. Nouum genus Iurisdictionis personarum et causarum ecclesiasticarum occasione subordinationum Ecclesiasticarum enatum. §. XXX. Historia illius usque ad tempora Iustiniani deducta. §. XXXI. Illius progressus in occidente ex SARPIO memorati. Laicorum causae quibus coloribus ad Ecclesiasticum forum tractae. §. XXXII. Potissimum capitibus dictorum reuolutis, inde ad Imperantem solitario iure Imperium et Iurisdictionem in societatem Ecclesiasticam pertinere, et §. XXXIII. ad constitutionem ipsam causarum Ecclesiasticarum progressionе factа, illas ex relatione Ecclesiae ad Imperium ratione constitutionis et directionis suae cognosci, ostenditur, et definitio plenior earum, subiungitur. §. XXXIV. et XXXV. Indiculus causarum ex ista relatione emergentium texitur. §. XXXVI. Regulae binae a SCHILTERO traditae examinantur. §. XXXVII. Quae spiritualitalis et peccati ratio in dignoscendis causis ecclesiasticis habenda? §. XXXVIII. Causae miserabilium personarum, testamentorum, et iuramentorum a censu ecclesiasticarum exclusae. §. XXXIX. De actionibus personalibus in personam et familiam Clericorum, itemque de cognitione Matrimoniorum et Divortiorum. Obiectio a patrimoniali iurisdictione diluta. §. XL. Disquisitionem de indole ecclesiasticarum causarum, restitutis etiam sacris, utilem et necessariam. §. XLI. De separatione et tractatione earundem. De Iurisdictione Consistoriorum. §. XLII. De concessione iudicij ecclesiastici subditis facta. §. XLIII. De praescriptione. §. XLIV. De legibus & conventionibus circa Causas ecclesiasticas quaedam monita.



DISSERTATIONVM
IVRIS ECCLESIASTICI
DE
INDOLE CAVSARVM
ECCLESIASTICARVM
PRIMA
DE FVNDAMENTIS EARVNDEM.

§. I.

DE I V R I S D I C T I O N E E C C L E S I -
A S T I C A ¹, vnde fori illius C A V S A -
R V M pendet aestimatio, non heri de-
mum aut nudius tertius coeptum est
controuerti: vetus est malum, quod iam
olim Ecclesiam turbauit et lacerauit, ciuilisque status
A funda-

1) *Iurisdictio Ecclesiastica* ex hypothesi vel stricte vel late accipi-
tur. *Illa* consistit in potestate subordinata et dependente de ne-
gotiis, personis et rebus Ecclesiasticis, ad normam diuini hu-
manique

2 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

fundamenta concussit ac tantum non euertit. Etenim bifariam fere grassatum esse constat: aut inter ipsos ordini sacro adscriptos, aut inter hos & gubernationem ciuilem. Ad prioris classis disceptationes pertinent, et quae ipsam Imperii facrorum summam, et quae Iurisdictionis Episcopalis, per interualla temporum immutatae, circumscriptionem spectant. Acriter hic certatum de Ecclesiae natura et potestate, de forma regiminis, de auctoritate Conciliorum generalium, de origine et iure Episcopatus, de Primatu vniuersali, de appellationibus Ecclesiasticis, de causis reservatis, et quae alia sunt huius generis: quae enim inter particularium dioecesum rectores et Ecclesias Cathedrales, Conuentuales, Monasteria, Ordines religiosos, de exemptione ² ortae contentiones, aut hodienum ori-ri possunt, caput rei directe amplius non tangunt. Sane

Occi-

nique iuris, cognoscendi, iudicandi et statuendi. Conf. c. 4. *de immun. Eccles. in Vito.* Haec vero est potestas summa independens rem ecclesiasticam omnem ordinandi, emendandi, dirigendi: atque adeo arbitrium legum ferendarum et vniuersum imperium facrorum complectitur. Posterior acceptio familiaris est mediae aetatis scriptoribus. Opponitur ei ab iisdem *iurisdictione imperialis et regia*, quod elogium collectionibus suis **S C H A R D I O** et **G O L D A S T O** praefigere placuit.

2) Vestigia huiuscmodi litium in c. 8. et 18. *de Priuileg. et in CONC. TRID. Seſſ. XXIV. c. 11.* iure communi Ordinariorum intentionem esse fundatam, agnoscit c. 7. *de priuilegiis in Vito.* quod consentaneum antiquae disciplinae. Vid. Nou. CXXIII. c. 21. Prolixo **ZIEGLERVS** *de Episcopis L. IV. c. 24. 25.* Exemtiones igitur in odiosis et coarctandis **E S P E N. iur. Eccles. Vniu. P. III. Tit. XII. c. 5. toto.** Hinc autem et olim et hodienum de interpretatione frequens controversia. Ad historiam Exemptionum sym-

Occidentis Episcopi, variis³ artibus expugnati, mature satis sub vnius dominatum concesserunt. Quae in Constantiensi et Basileensi Conciliis immoderatae Romanae sedis potentiae frena credebantur inepta esse, curiae illius solertia facile excussit⁴. Igniculi etiam in Tridentina Synodo, sufflantibus Hispanis,

quis

symbolas suas contulerunt SARPIVS H.C. T. L. II. p. 195.
Edit. Gorinchemensis 1658. ALTESERRA Asceticor. L. II. c. 5. ESPENIVS l. all. c. 1. 2. 3. 4.

- 3) Recenset illas BLONDELLVS in insigni opere *de la primauté en l'Eglise* p. 794. Conf. SALMASIVM de Primitu Papae c. XI. et XIX. Hostimentum quoddam amissi iuris est, quod in Tridentina Synodo ad certa negotia perficienda delegati Sedis Apostolicae sint constituti. SESS. V. c. 1. et 2. XXII. c. 5. 6. 8. XXV. c. 9.
- 4) Doctrinam de auctoritate Concilii generalis supra Papam, in vtraque Synodo Constantiensi et Basileensi stabilitam, reuocauit Mantuana A.C. c. 10 CCCCLIX. a Pio II. coacta, et Lateranensis sub Julio II. & Leone X, Pisanae, quae idem dogma Sess. III. apud RICHERIVM Hist. Conc. Gen. L. IV. P. I. p. 431. asseruit, opposita. Ea etiam, quae a Constantiensi Sess. XVII. contra prouisiones Curiae Romanae, et in Basileensi Sess. XII. de electionibus liberis Episcoporum et Praelatorum, ecclesiis, collegiis, conuentibus restituendis; de confirmatione Episcoporum a Metropolitis, et minorum Praelatorum ab Episcopis impetranda; itemque Sess. XXI. de tollendis annatarum exactiōnibus fancita, quam parum sint obseruata, indicium faciunt GRAVAMINA A. 1442. a Statibus exhibita, apud GOLDASTVM Politic. Imper. p. 1038. et subsecuta CONCORDATA NATIONIS GERMANICAE, in quibus plurimum eius iuris est remissum. Pactus ea Frider. III. cum Nicolao V. a. 1448. temporum iniquitate et pacis studio victus, auctore, vt videtur, Aenea Sylvio, qui nomine Imperatoris, quod ipse de se Epist. CCCLXXXIII. a. 1457. ad Martinum Meyerum, Cancellarium Moguntinum, exarata prodit, compositioni illi interfuit. Quin nec Concordatis parcitum fuisse, fidem faciunt, quae respon-

4 DE FUNDAMENTIS CAUSARUM

quis putet? Praesulibus, emicantes, prius, quam flam-
mam conciperent, suffocati: vt, quae nunc Libertatum
alicubi nomine veniunt, tabulae saltem quaedam cen-
fendae sint e magno naufragio relictæ. In eam et
iam, quae non principum modo Ecclesiarum antisti-
tes, sed ipsum adeo Orientem et Occidentem, quon-
dam

riam illam praecesserunt, Meyeri ad *Sylvium literae*, prid.
Kal. Sept. eiusdem anni datae, in quibus tamen Concordata diffi-
mulat, quod tum nondum omnibus Imperii Principibus, nec
ipsi Moguntino, in omnibus probarentur. Conf. SCHIL-
TERVM in notis ad *Concordata* §. XI. et de L. E.G. VIII. c.
2. §. II. sequ. Literas MEYERI exhibet GOLDASTVS Po-
lit. Imp. p. 1039. De annatis questi adhuc in Comitiis Norim-
bergensibus 1522. Proceres Imperii GRAV. XXVII. PRA-
GMATICAЕ etiam SANCTIONI, auspiciis Caroli VII. ex
Basileensis Concilii decretis, quod, instituta collatione, docet
RICHERIVS L. III. c. 7. §. 3. compilatae et promulgatae,
quam Palladium Franciae dixit DVARENVS de sacris Ec-
clesiae ministeriis L. V. c. II. multum derogarunt *Concordata* in-
ter Franciscum I. et Leonem X. A. 1515. inita: et si aliter visum
fuerit PETRO de MARCA de C.S. et I. L. VI. c. 9. §. II.
Quidquid eius rei sit, id certe apparet, Basileensis Synodi decre-
torum a Romana Curia nullam aut saltem exiguum rationem ha-
bitam fuisse.

- 5) Hispanos quidem iam sub PAULO III, quod ex SARPIO disci-
mus L. II. Hist. Conc. Trid. p. 194. et deinde sub PIO IV. vehe-
menter voluisse, vt, residentiam Episcoporum diuini esse instituti,
declararetur, sed subodoratos consilii, quo robustius et excelsius
quid moliebantur, arcanam rationem Legatos, ac Italicorum
Episcoporum numero et ordinum religiosorum suffragiis suf-
fultos illud irritum fecisse, perspicue patet ex egregia GENTI-
ANI HERVETI in ipsa Synodo et illo ipso tempore a.
1563. cum maxime ferueret disputatio, ad SALMERO-
NEM scripta epistola, quam integrum dedit RICHERII can-
dor L. IV. P. II. p. 207. Iungenda est altera illa CLAVDII SAN-
CTII ad ESPENSAEVUM apud eundem p. 190.

dam inter se commisit, de Primatu potestatis ⁶, capitalis quaestio, ad incitas cum Imperio Orientis Ecclesia redacta, solae fere, quae a Romano ritu secessionem fecerunt, ecclesiae successerunt. Alterum deinde, idque grauissimum, de Iurisdictione Ecclesiastica controuersiae genus inter ipsum IMPERIVM, vt loquuntur, et SACERDOTIVM exarsit, posteaquam, qui ecclesiae nomen usurparent, potestate, quam iusto ampliorem effecerat religiosissimorum Principum liberalitas et indulgentia, non contenti, Regnum ipsum et capita Regum arbitrio suo submittere molirentur. Eruptit illud inde ab HENRICI IV. Augusti aeuo non solum in ferocissima bella, secutis etiam seculis subinde renata, sed et ab ea aetate scriptis ⁷ vtrinque publicatis coepit agitari: quibus tamen, si verum fatendum, Imperii rationibus ab illis parum est consultum, qui pro eo calamos strinxere; quod pene omnes sacris ordinibus iniciati, et hierarchicis persuasionibus innutriti, plura aduersis partibus largirentur minime largienda,

A 3

da,

6) *Primatum enim honoris Romano Episcopo satis afferuit canonum et legum auctoritas, CONC. CONSTANTINOP. Can. III. CHALCED. Can. XXVIII. ad quae respicit. Nou. CXXXI. c. 2. Conf. l. 45. Cod. Theodos. de Eccles. et ibi GOTHOFR. quem et recentiores Graeci lubenter admittunt. Vid. NILVM de Primatu Papae L. II. p. 30. et BARLAAMVM in similis argumenti libello, c. VI. Edit. Salmasiana.*

7) *Eos, qui Imperii causam egerunt, exhibent SCHARDIVS in Syntagmate Tractatum de Imperiali Iurisdictione, et GOLDASTVS in Apologia pro Henrico IV. et in Monarchia S. R. I. Qui pro sacerdotio scripsierunt, collecti extant in vastissimo opere IOANNIS THOMAE ROCCABERTI, quod Bibliothecam maximam Pontificiam inscripsit.*

6 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

da^s, atque ita ipsi tela oppugnantibus subministrarent, quibus optima causa in periculum adduceretur. Melior et felicior Reformatorum nostrorum opera enituit: quam, superiori in primis seculo, eruditissimorum hominum de conditione et disciplina primorum Christianorum, de republica ecclesiastica, de auctoritate Conciliorum et vsu⁹ Patrum, de Patriarchis, Pramatibus, Episcopis, Presbyteris, de Primatu in Ecclesia, de sub-

- 8) Nam et summas duas potestates in eadem ciuitate admittunt, et Imperantes in spiritualibus Pontifici subiiciunt, et vbi limites utriusque potestatis ponunt, eos ita constituunt, vt causas etiam mere Ciuiles ecclesiastici iudicis cognitioni permittant, si spiritualitatis, vt vocant, aut peccati quaestio concurrat; quae res tandem ingentium turbationum Ciuilis iurisdictionis causa extitit, de quibus grauiter questi Principes Imperii G R A V. LXIII. LXIV. LXIX. LXX. et LXXI. apud S C H I L T E R V M, qui integra inferuit, L. VII. C. 2. p. 859. seqq. de L. E. G. Ex eodem fonte profluxerunt causae promiscuae iurisdictionis, seu *mixti fori*, in quibus praeventioni locum esse aiunt, quam et ipsam deinde neglexerunt Ecclesiastici iudices, teste eodem GRAV. LXX. Aliam viam ingressi M A R S I L I V S P A T A V I N V S in *defensore pacis*, et G R E- G O R I V S ab H E I M B V R G in *admonitione de iniustis usur- pationibus Paparum*, quorum ille Ludouici Bauari, hic suam et Sigismundi Austriaci causam accurate et supra aetatis suae genium docte egit. Scio de M A R S I L I O aliter sensisse ILL. THO- M A S I V M in *historia contentionis inter Imperium et Sacerdo- tium*: sed vel sola libri lemmata c. IX. §. 96. seqq. recensita vngues ostendunt, ex quibus leonem agnoscas. Conf. S C H I L T E- R V M de L. E. G. L. VI. c. 2. §. 7. Vtriusque scripta extant apud G O L D A S T V M in *Monarchia* T. I. et III.
- 9) Mirari quis posset tractationem de vsu Patrum, de quo doctissima extat I O A N N I S D A L L A E I Commentatio, hic inter subsidia referri. Verum, quam necessarium fit, studia eorum nosse, vel in materia de Episcoporum et Presbyterorum in Ecclesia regimine auctoritate, quae cum nostro argumento magnam habet

suburbicariis Ecclesiis, de libertatibus Ecclesiae Gallicanae et Germanicae, de causis maioribus, de iure regiae, aliisque veteris et mediae aetatis rem sacram spectantibus materiis, magno doctrinae apparatu instructae exceperunt lucubrationes: unde praeclaram lucem Iurisdictioni Ecclesiasticae causisque Ecclesiasticis affulsisse, studiis sacri Codicis, Conciliorum, Patrum, Linguarum, omnis denique antiquitatis et historicae cognitionis tum ad fastigium prouectis, nemo paulo cordatior inficias ibit. Nostra etiam Patrumque nostrorum memoria extiterunt viri quidam egregii ^{io)}, qui literis illis probe exculti, id sibi negotii datum esse recte existimarent, ut in auxilium vocatis politices melioris subsidiis, ac originibus et natura Ciuilis Imperii et Ecclesiae diligenter inspectis, in interiores utriusque recessus penetrarent, iisque cum cura perlustratis et inter se collatis, et civilem statum ab inquis usurpationibus tutum redderent, et Ecclesiam pristinae suae restituerent simplicitati. Mihi certe, dum CAVSARVM ECCLESIASTICARVM ⁱⁱ⁾, indolem explicare & censum inuestigare in animum induxi, ea-

dem

habet affinitatem, videre licet: in qua certe illorum alii impensius fauent Episcopatui, alii eundem ad Presbyterii conditionem deprimunt. Vide BV DDEV M Exercit. de Origine et potest. Episcoporum §. VIII sequ.

^{io)} GROTIUS, ZIEGLERVS, SECKENDORFIVS, PV FENDORFIVS, STRYKIVS SEN. THOMASIVS, BVD DEVS, BOEHMERVS, alii.

ⁱⁱ⁾ Causarum ecclesiasticarum appellatio occurrit in l. 23. C. Th. de Episc. et Cler. l. 3. eod. de Episc. iudic. l. 33. §. 3. 4. C. de Episc. et Cler. AV T H. Causa eodem. c. 4. de immun. Eccl. in VIto.

8 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

dem via incedendum esse intelligo. Verum id ante omnia monendum, **C A V S A S E C C L E S I A S T I-
C A S** hic in amplissimo significatu venire. Sunt enim *omnia negocia*, quae ad status Ecclesiae externi ordinatio-*nem et directionem spectant.* Hae duae operationes mensuram earum constituunt, vt quae illis non continentur, nec pro talibus habenda: quanquam studium dilatandae iurisdictionis plures diuersae naturae admiscuerit, hodieque fieri queat, vt summa potestas, penes quam causarum diuidendarum et seorsim tractandarum liberrimum arbitrium est, quasdam Iudicio Ecclesiastico transcribat, quae sine hu-iusmodi speciali concessione ab eo non possent occupari. Argumentum non omnino novum, aut intentatum, varie tamen habitum, ac in primis dignum, quod iusto ordine proponatur, quodque quam maturrime illorum mentibus infigatur, quibus vel publica vel ecclesiastica res in partibus suis olim debet concredi. Constitutum autem mihi est, rem totam, cum vna, ob materiae vberatatem, id commode fieri nequeat, tribus Dissertationibus absoluere: quarum *prima* in fundamenta et genuinam causarum ecclesiasticarum indolem inquiret: *secunda* eas ex mente Canonici iuris et eius interpretum sistet ac examinabit: *tertia* denique earum conditionem in foris Protestantium explorabit et tuebitur.

§. II.

Igitur dari causas, quae ex re, quam spectant, nomen ecclesiasticarum tueri possint, non minus afferi convenit, ac fiscales, feudales et similes admittimus.

Quemad-

Quemadmodum nec id dissimulandum, eas non promiscue omnes eadem ratione se habere, sed nonnullas eius generis esse, vt, quoad intrinsecam naturam, nulli arbitrio humano subsint: quasdam etiam ita esse comparatas, vt in eas ipsi illi *coetui*, *qui in ciuitate salutis doctrinam a Christo et Apostolis traditam profitetur*, quem *Ecclesiam* vocamus, ius suum merito relinquatur. Sed id quaeri solet, quae illarum vera sit constitutio et indoles? qui tractandi, definiendi exequendique modus in iisdem obtineat? sitne hic Ecclesiae, aut saltem iis, quibus in ea docendi munus impositum, Iurisdictio, siue potestas de iis cognoscendi statuendique cum vi coactrice coniuncta, lege diuina concessa? aut si appareat, eam non diuino vel necessario instituto niti, sed humani et arbitrarii iuris esse, ac nobilissimam hanc $\tau\delta\kappa\nu\eta\lambda\gamma$ portionem, beneficio summi Imperii, Ecclesiae, aut certis eius membris, lege quondam delegatam, quoisque Iurisdictio illa ex delegationis formula, aut ex voluntatis delegantium conjectura, producatur? quid deinde, numero causarum per ambitionem et auaritiam in immensum aucto, ac Iurisdictione Ecclesiastica indominatum, ipsi publicae rei verendum, versa, et olim in eam licuerit, et hodienum liceat summis Magistratibus? quorum definitionem generalem non aliunde rectius, quam a structura civilis Imperii, a quo principium est omnis Iurisdictionis, itemque a natura Ecclesiae et a Iurisdictionis Ecclesiasticae origine ac incrementis, peti posse, res ipsa satis loquitur.

B

§. III.

10 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

§. III.

Ad ciuilis Imperii structuram quod attinet, eam quidem eiusmodi initio ciuitatum fuisse, magna cum evidentia asseritur¹, quod homines a ciuali nexu natura liberi et aequa sorte nati, incommodorum uitae per segreges familias actae pertaesi, firmandae securitatis causa, primo inter se constituendae societatis perpetuae pacto iungerentur, dein de forma regiminis instituto congrua cogitarent, atque ubi de ea conuenisset, cum illis etiam, quos praefici Vniuersitati placuisset, pacifcerentur, hisque ius omne, quo singuli in se suaque² et in alios quosuis

1) PUFENDORFIVS *de I. N. et G. L. VII. c. 2.* in primis vero LOCKIVS *du Gouvernement Ciuil. c. I. et VII. Conf.* etiam HERTIVM *de modo constituendi ciuitates Sect. I. §. 3. Vol. I. T. I.*

2) Obiter obseruo, ex translatione illius, quod quis in alios ius habet, quo cum efficacium mediorum adhibendorum vis cohaeret, in summam Potestatem facta, in hac oriri ius poenas sumendi, non a ciuibus tantum, sed et ab iis, qui extra Ciuitatem sunt, quod prudenter monitum a LOCKIO C. I. §. 6. Porro cum illa tuitio et recuperatio et auersio futuri periculi, in statu naturali, pro circumstantiarum qualitate, cum internecione etiam alterius potuerit esse coniuncta, consequens est, capit is quoque poenam in Ciuitate infligi posse. Ex quo patet, difficultatem, qua premitur Philosophia PUFENDORFII L. VIII. c. 3. §. 1. facile euitari posse, si potestatem illam non in subiectione cuiusvis suimet propria, qua nihil transfertur iuris, quod quis in se non habet, sed in transcriptione iuris in alios competente, quaeramus. Nec enim soli coniunctioni corporis moralis tribui fas est, quod ante coniunctionem illam in iis non fuit, ex quibus corpus illud morale compositum est.

uis ad sui suorumque tuitionem et iniuste detentorum recuperationem, ac pro futuro periculo arcendo, ex ipsa aequalitatis lege, gauderent, eatenus deferrent, quatenus id ad Ciuitatis tranquillitatem in tuto collocandam, et ad augendam communis rei felicitatem, vim aliquam habere posset. Ortum hinc traxit imperium in personas et res ciuium, actiones eorum externas, quae in potestate eorum essent, et usum bonorum quorumcunque, ad finem ciuitatis moderandi; leges condendi, ius dicendi exequendique, Magistratus ordinandi, poenas fontibus irrogandi vel remittendi potestas; arbitrium etiam, pro necessitate et utilitate Vniuersitatis, collegia et societates instituendi, tolerandi, reprobandiue: quae ferre sunt operationes summi Imperii, praesenti tractationi accommodae. Porro lex illa ab omni tempore viguit omnium ciuitatum, ut qui in quavis earum orirentur et vitam agerent, aut aliunde ad eam accederent, homines, eiusdem esse populi existimarentur³, iisdemque viuerent conditionibus, quibus ipsa Vniuersitas vteretur: quod in illis subiectionis eorum, a quibus nascerentur, et in quorum potestate essent, ratio, in his autem consensus taciti praesumtio, quae ciuitatis, in qua morantur, aut sedem fortunarum suarum figere satagunt, legibus subdidisse censemur,

B 2

fa-

3) Quo illud ALFENI in l. 76. π. de Iudiciis referendum: et legionem candem haberi, ex qua multi deceperint, quorum in locum alii subiecti essent, et POPVLVM cundem hoc tempore putari, qui abhinc centum annis fuisset, cum ex illis nemo nunc viueret.

12 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

facile euincunt : vt proinde ne alle^tione quidem aut stipulatione, multo minus iurisiurandi religione, opus sit; quanquam isthaec omnia, cautionis instar, vtiliter queant adhiberi ⁴.

§. IV.

Ex dictis prius, quam ad alia progredior, **C O N S E C T A R I A** quaedam elicienda sunt, sed solum eius generis, quae penitiori Iurisdictionis Ecclesiasticae et causarum Ecclesiasticarum contemplationi possunt inseruire. Sint igitur haec: 1) *ab iis, qui in vnum corpus Politicum coalescunt, vnam tantum summam potestatem in personas et res omnium constitui, ideoque fieri non posse, vt, regimine ei semel delato, aliam potestatem in partem earundem personarum et rerum aequam summam efficiant.* Nihil clarius, cum priori illa potestate stabilita, nihil amplius iuris ipsis supersit, quod in alteram istam queant transferre. Nam ne quis argutetur, ex doctrina superioris §. et actus tantum externos, et ex his eos solum, qui directione indigent ad finem Ciuitatis adsequendum, et in potestate sunt transferentium, subiici: in promptu enim est responsio, eos, qui non recipiunt Imperium ciuale, nec recipere posse Iurisdictionem, quae tota ab illo est et dependet. Posito igitur summo Imperio, destruitur quodus aequum sumum ac independens ; quod sumnum non esset, nisi caetera sub se haberet omnia ¹. 2) *Soli summo Imperio originarie inesse, imperare, cognoscere, decernere, iubere,*

co-

⁴⁾ Vide SCHILT. de L.E.G.L.II.c.XI. §.12.

¹⁾ Conf. ZIEGLERVS de I.M.L.I.c.XIII. §.23.

cogere. Inesse haec Imperio summo, nemo ambiget, cum hae ipsius, intuitu Ciuium, partes sint, vt loquuntur, constitutiuae². Sed et soli originarie inesse, facit abdicatio et subiectio ab omnibus facta, de qua §. praecedenti fuit actum. 3) *Soli igitur summo Imperio originarie competere potestatem leges ferendi de personis et rebus sibi subiectis: eidem etiam 4) soli originarie ius competere Iurisdictionem exercendi in personas et res ciuium subiectas.* 5) *Iurisdictionem illam, siue potestatem iubendi, cognoscendi, decernendi et cogendi, communicari quidem cum ciuibus posse: id quod multitudo negotiorum et ipsa ciuum vtilitas postulat, et usus approbat omnium Populorum: 6) eam tamen non aliter ad Ciues transire posse, quam consensu summi Imperantis expresso tacitoue.* Neque enim quod Imperio originarie inhaeret eique proprium est, intuitu potest subtrahi, tantum abest, vt eiusmodi quid eis liceat, qui se suaque eidem submiserunt. 7) *Imperio etiam summo competere, Iurisdictionem illam quoad personas, res et negotia circumscribere, siue causarum ad eam pertinentium ambitum definire.* Naturale siquidem est, vt id, quod libere conceditur, ex arbitrio concedentis mensuram accipiat. 8) *Omnem hanc concessionem salua potestate legislatoria et Imperii Maiestate factam intelligi.* Quod eo spectat, vt non solum administratio concessae Iurisdictionis ad normam legum instituatur, sed et vt integrum maneat concedenti, negatae aut perperam exercitiae rationes

B 3

exi-

2) *Idem L.I. c. III. §. 26.*

14 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

exigere, male acta rescindere et abolere, sententias corrigere, causas auocare, et vbi abusus magnitudo efflagitet, improbe vtentem ipsa Iurisdictione priuare. Diceres Iurisdictionem non *abdicatione* sed *subordinate* concedi ³. Id non obscurum est, salutem ciuitatis, quae suprema lex merito habetur, velle, vt Maiestas concedentis non imminuatur, sed vt, si ipse, ad quem cum Imperio iuris etiam dicundi potestas peruenit, causis audiendis vacare non possit, liber saltem ad eum pateat recursus, eique ultimum in rebus iudicium seruetur.

9) *Legibus et Iurisdictioni summi Imperantis subesse omnes, qui in ciuitate sunt aguntue, ideoque nemini fas esse earum obsequio, quam diu in eo statu manet, se subducere:* quod subiectionis formula, in quam natos in ciuitate, et ad eam aliunde accedentes succedere supra dictum est, manifestum reddit.

10) *Idem produci ad societas et collegia:* quod ex ciibus consistant. Etsi enim quis plures aliquando in ciuitate personas induat, et fieri possit, vt in societatem, cui aggregatur, personam ciuis, qua talis, non inferat, uerum tamen est, quemuis retinere conditionem, qua in ciuitate vtitur, ideoque ciuem ingrediendo societatem facto suo operari non posse, vt vel eatenus a vinculo obligationis ciuilis liberetur. Obiecerit forsitan quis, aliud dicendum de societatibus vel collegiis, quae ante Ciuitatem extiterunt et in hanc demum sunt illatae; cum primis, si in se habeant directionem aliquam propriam, quae externam illam regiminis ciuilis aut non requirat, aut plane non admitt-

3) *Idem L. I. c. XXIX. §. II. seqn.*

mittat: illas enim Imperio non submitti. Evidem
lubens concedo, inferri posse in Ciuitatem societa-
tes, quarum finis cum fine Ciuitatis non pugnat; fie-
ri etiam posse, vt directio illa interna et propria soci-
etati illibata seruetur: hoc tamen non largior, prae-
cludi hac ciuilis Imperii directionem summam. Ut
enim taceam, aliam esse directionem in collegio, ali-
am collegii ipsius; illud etiam cogitandum est, in ipsa
quoque societate, tam in eos, qui directione aliqua in
collegio gaudent, quam in illos, quibus directionem
hanc sequi conuenit, inspectione opus esse supremae
Potestatis, quae vtramque partem in officio con-
tineat, et tam singulorum in ea iuribus, ne inua-
dantur et turbentur, quam publicae rei, ne quid
detrimenti capiat, prouideat ⁴. II) *Operationes in-*
tellectus et voluntatis, quoad intra mentem se continent⁵,
quae Ictis nostris communi cogitationis ⁶ appella-
tione veniunt, *liberas quidem esse ab omni Imperio*
humano et Iurisdictione ciuili, quoad animaduersionem,
non quoad explorationem aptitudinis ad munia publica pae-
fertim ecclesiastica obeunda: quod naturae omnis societatis
maxime conueniat, vt qui ei adscribi et commodis
eius frui cupit, illius legibus se submittat: societatis
etiam

- 4) P V F E N D O R F. *de habitu religionis christiana ad vitam ciuilem.* §. 45. seqq.
- 5) RHODII apud LIVIVM. L. XLV. c. 24. neque MORIBVS
neque LEGIBVS ullius Ciuitatis ita comparatum esse, vt si
quis VELLET inimicum perire, SI NIHIL FECERIT,
quo id fiat, capit is damnatur. Conf. GROTIUM L. II. de I.
B. et P. c. XX. §. 18.
- 6) L. 18. π. de poenis l. i. §. 1. π. defurtis.

16 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

etiam Ciuilis et Ecclesiasticae plurimum intersit, ne in eas irrepant homines ab institutis earundem alieni et abhorrentes: praeterea in hac re nulla versetur ad formulam Confessionis publice receptae amplectendam coactio, sed idoneitatis faltem expiscatio; vt proinde, si minus sincere hic agant edere professionem iussi, vitio id personarum, non medio indagandi, quo nullum rei latenti accommodatius reperitur, tribuendum sit⁷. Sed haec quidem praesenti instituto suffecerint.

§. V.

Videndum nunc est de Ecclesiae constitutione, sine qua de Iurisdictione Ecclesiastica et Ecclesiasticis causis recte iudicari nequit. Vocis cum varii dentur significatus, quos enucleate exposuit ZIEGLERVS¹, is huic tractationi conuenit, qui *vniuersam multitudinem doctrinam salutis a Christo et Apostolis traditam profitentium* denotat.

§. VI.

In huius formatione praecedit vocatio omnium per verbum Euangeli²: sequitur proxime singulorum, qui verbo audientes sunt, cum Deo optimo maximo per fidem et fiduciam in Christum, media-torem

7) Conf. HORNIUM ad SCHILT. L.I. Tit. 16. §. 2.

1) *de dote Ecclesiae c. I. n. 1. seqq. Conf. DN. BOEHMERVS de Iure Parochiali S.I. c. 2.*

1) MATT. XXVIII. 19. FORMULA CONCORD. c. XI. p. 918. Coll. Pfaffianae.

torem vnicum, interna vnio: ex quorum postea per
vniuersum, qua patet, orbem, collectione, Ecclesia
illa *catholica inuisibilis* efficitur², quam *communionem*
Sanctorum dicit Symbolum a doctrina Apostolicum ap-
pellatum: *complexus, nimirum, ille vere credentium, soli*
Deo cognitorum, in unitate fidei saluifcae, spei et caritatis,
cum Christo capite et inter se, vnitorum. Nexus omnis
hic quidem arctissimus est; quod eius participes facti,
quemadmodum Pater in Christo, et Christus in Patre, ita
*ipsi in utroque vnum sint*³: vnum corpus, quod uno
spiritu regitur, cuius caput Christus⁴: *vna domus,*
cuius vnicum fundamentum et lapis angularis Chri-
stus⁵: centrum vnitatis, quocum fideles, *velut in vite*
*palmites, cohaerent*⁶: sed mere spiritualis et mysticus;
regnum quidem, sed *non huius mundi*⁷, *nec ita veniens,*
ut obseruetur, aut hic illicue esse demonstretur, sed quod in-
*tra fideles est*⁸; qui πολιτευμα suum in coelis habent⁹, τυμ-
πολιται των αιγιων¹⁰. Nullum hic imperium ciuile (quod
nec potest esse, nisi capitis visibilis in ciues visibiles;) nullius in alterum, quem ne nouit quidem, Deus enim
tantum suos nouit, iurisdictio. Enixissima quidem
per verbum inuitantis voluntas, *compelle eos intrare*¹¹,
sed ab omni vi externa et coactione aliena. Frustra

- 2) GERHARDVS *in loco de Ecclesia c. VII.* SCHILT. *de L.*
E.G. L. I. c. 1.

3) IOH. XVII. 21. 22. 4) EPHES. IV. 12. VI. 4.

5) I.TIMOTH. III. 15. I.COR. III. 11. ACT. IV. 11.

6) IOH. XV. 1. *seq.* 7) IOH. XVIII. 36.

8) LVC. XVII. 20. 21. 9) PHILIPP. III. 20.

10) EPH. II. 19.

11) LVC. XIV. 23. PVFEND. *de H.R.C. §. 20.*

18 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

fuerit, qui in regno inuisibili vim externam quaerat, quam nec in eo quaerunt, qui omnem Ecclesiam internam et inuisibilem cupiunt eliminatam.

§. VII.

Ab *interna* et *inuisibili*, accedente professione *externa*, proficiscitur *externa* et *visibilis* Ecclesia, in cuius contemplatione, cum vniuersalitas ex personis et coetibus Ecclesiasticis singularibus per orbem dispersis, eandem salutis formulam publice profitentibus, demum enascatur, a *particulari* initium capiendum erit. Incipit haec a singulorum professione singulis in locis *externa*, cui succedunt *confociationes* singulorum vel *priuatae*,¹ quae priuato saltem coeuntium consilio reguntur, quales fuerunt omnes primae aetatis Christianae religionis², a ciuili regimine neglectae: vel *publicae*, publica auctoritate constantes et ordinatae³. Quandoquidem autem hoc pluribus in locis, diuersarum etiam dominationum, contingit, ita Ecclesiae particularis triplex genus emergit. Primum est Ecclesiarum singulorum locorum, velut, cum dicimus Romanam, Constantinopolitanam, Antiochenam, Alexandrinam. Secundum est comprehensio Ecclesiarum localium eiusdem regni et nationis, vnde prodeunt Ecclesia Gallica, Germanica, aliae. Tertium sistit comple-

xum

1) M A T T H . X V I I I . 19. 20. Notum illud T E R T U L L I A N I de *exhortatione castitatis* c. VII. vbi tres, Ecclesia est, licet laici.

2) Vid. B L O N D E L L V M in *Apologia pro Hieronymo de Episc.* et *Presbyt.* S. III. cap. de *Basilicarum origine* p. 216. seqq.

3) Dn. B O E H M E R . de I. Par. S. I. c. 2. §. 5.

xum Ecclesiarum singularium totius cuiusdam Imperii ex pluribus regnis aut nationibus compositi, a quo Orientalis et Occidentalis nomina prouenerunt. Origine particulares locales inter se sunt liberae, paris etiam dignitatis et potestatis; vt tamen in eadem prouincia, vel in eodem regno recipient subordinationem, vel voluntaria submissione, quo referto speciem vexatissimi Canonis VI. Synodi Nicaenae I. vel auctoritate vis superioris. Inter secundi et tertii generis Ecclesias, ob diuersitatem Imperiorum, ne quidem potest esse subiectio, nisi in eam consentiant Rectores summorum Imperiorum. Cum hic de Imperio et Iurisdictione quaeramus, satis ad rem erit, si particularium primi generis constitutionem examinemus; vnde facile erit iudicare, quid subiectio earum voluntariae inesse queat: quod, quae legitimae potestatis superioris consilio et auctoritate fit, si admixtam habeat Iurisdictionem, id omne acceptum fendum sit summo Imperio. Attentius autem hic considerari debent, *locus, personae, materia, potestas, modus, finis.*

§. VIII

Atque omnem hanc associationem et congregationem in territorio, siue intra ambitum terrarum, in quo vniuersim summae potestatis imperium valet, fieri, tam certum est, vt contradici non possit. Coalitione ciuium facta, coaluit etiam in vnum, quodcunque singuli fundorum optimo maximo iure ante tenerent et possiderent, et ex horum combinatione territorium, intra cuius terminos Ciuitas continetur,

C 2

tur,

20 DE FUNDAMENTIS CAUSARUM

tur, concreuit: non hac quidem lege, vt exciderent rerum suarum dominio, ac possessionum limites confunderentur, sed vt tota illa compages summae in posterum Imperantis moderationi subeffet, et ab eo ad finem vniuersitatis regeretur. Conuenienter SENECA¹: *ad Reges Potestas omnium rerum pertinet, ad singulos Proprietas.* Illud etiam superius assertum, eam esse rerum subiectarum conditionem, vt facto ciuium, inuita summa potestate, mutari non possit. Verum igitur est, congregatione eiusmodi loci imperium non interuerti, nisi summi Imperantis voluntas acceſſerit, quod etiam Romano iure obſeruatum, quo cum crederetur, loca sacra adeo diuini iuris esse, vt etiam diruto, vel collapſo, vel combuſto aedificio ipſa area ſacra maneret², id cautum fuit, ne quis ſua auctoritate locum ſibi ſacrum conſtitueret³, ſed vt publica eſſet dedicatio⁴: et ſi et hac res ſacra magis dominio ſingulorum, quam imperio, ſubduceretur, quod clarum fit ex conſtitutione I V S T I N I A N I⁵, quae ſupelleſtilem ſacram redemtioni captiuorum et fami depellendae impendere permittit,

1) *De Beneficiis L. VII. c. 4. vide et cap. 6. eiusdem libri.* Plura in hanc ſententiam veterum loca apud G R O T I V M L. II. c. 3. §. 4. et in notis.

2) l. 6. §. 3. π. de R. D. §. 8. I. eod. l. 73. π. de contrah. emt.

3) §. 8. I. de R. D.

4) *Lex PAPIRIA vetat, aedes iniuffu populi conſecrari.* C I C E R O orat. pro domo ſua. c. 50. vid. l. all. 6. §. 3. iunct. l. 9. π. de R. D. Conf. PLIN. L. IV. Ep. 1.

5) l. 22. C. de SS. Eccl. Exempla eiusmodi alienationum annotavit BALDVINVS ad §. 8. I. de R. D.

mittit, quod neutquam fieri posset, si res sacra Imperio etiam eximeretur. Neque enim causam in qualitate rei mobilis ponendam existimem, quod donaria rite ad ministerium Dei dedicata, non secus, ac res soli, sacra efficiantur. Plane locus etiam sacer eo iure occupatione hostium fit profanus, non quod, vt POMPONIVS autumat, res quasi in seruitutem ducatur, sed quia Imperio destituitur, quo restituto et ipse restituitur ⁶.

§. IX.

De Personis illud iam praeoccupauimus, quod omnes, qui in Ciuitate sunt aguntue, summae in ea potestati subiificantur, nec mutent statum, donec in ea commorentur: quare vt de his, qui in coetum religionis causa in Ciuitate coeunt, idem affirmemus, ipsa ratio euincit. Nulla praeterea cui pareant, praeter eam est aut esse potest, quam ipsi sibi impo fuerunt, aut ab iis est constituta, in quorum locum et obligationem successerunt. Nam si esset alia, aut ante Ciuitatem extitisse et in eam a ciuibus inuetam esse, aut in ea demum stabilitam esse oporteret; quorum neutrum vero consentaneum est: non illud, quod nemini fuerint obnoxii ante ingressum in Ciuitatem, vel si fuissent, iam in potestate eorum non fuisset, summum Imperium condere, quod vtique liberos et sui iuris potentes postulat: non hoc, cum, subiectione semel facta, amplius ipsis nil superesset, ex quo nouum eiusmodi Imperium extrui posset. Reliquum igitur est, vt id aut a Deo, aut a summo Im-

C 3

perio

6) l. 36. π. de religiosis.

22 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

perio originem trahere dicamus ; sin hoc, quod, credo, nec ipsi admittent Hierarchiae propugnatores, nec probabunt vnquam, iam aetum erit de summo Imperio; cum duo aequa summa in eadem Ciuitate simul non consistant, sed vnum alterum tollat. At nec a Deo esse, vita Christi et Apostolorum luculenter monstrat. Ille, Ecclesiae suae auctor et caput, eo tempore, quo vniuersus Orbis Romanus censetur, in Prouincia Romano Imperio tributaria, homonatus, se suosque aut quenquam eorum, ad quos docendum a Patre erat missus, ciuili iurisdictioni adeo non exemit, vt potius a se alienam ostenderet omnem iuris dicundi potestatem, ac ne arbitrium quidem in iudicio diuisorio a fratre contra fratrem oblatum acciperet : *quis me vobis, inquiens, I V D I C E M aut diuisorem constituit?* praeterea tributum lubens exsolueret, et vt Caesari, quae eius essent, darent, populares suos admoneret, ipse vero tandem in ius et ad mortem, nulla fori praescriptione obtenta, rapi se pateretur, quiqe obambulans et docens et bene faciens cunctis regni suspicionem studiose defugisset, coram tribunal, quod supremum ² erat Provinciae, constitutus, liberam professionem ederet, regnum suum huius mundi non esse, sed regnum veritatis, hoc est, spirituale : quod certissimum indicium facit, ciues quoque regni huius spirituales esse, et regni vim omnem spiritualem ³, ideoque ad iuris-

1) Lvc. XII. 14. Conf. Io h. VIII, n.

2) Erat enim penes Romanum Praesidem iudiciorum capitalium potestas. Vid. CASAVBONVM Exercit. XVI. n. 71.

3) Vid. II. Cor. X. 4. EPHES. VI. 14. seqq.

iurisdictionem externam coactricem producendam minime comparatam, quippe quam a ciuili Imperio proficiisci debere, suo loco est demonstratum. Semoto autem a regno Christi Imperio et Iurisdictione ciuili illud, etiamsi de eo aliunde non constaret, simul ponitur, durare et necessario quidem durare, incolumi illo, Imperium et Iurisdictionem Ciuitatis in quosuis doctrinae christianaee sectatores. Apostoli certe, exemplum Magistri sui secuti, sollicite id inculcarunt recens a se ad fidem ex Gentibus conuersis, ne in obsequiosi sint Magistratibus, quantumuis ethnicis, utpote diuinae ordinationi, ne herili quidem dominatione⁴, et si plurimum iniquitatis aleret, excepta. Memorabilis est illa AVGVSTINI⁵ apostrophe: *audite Iudei et gentes: audi circumcisio: audi praeputium: audite omnia regna terrena: non impedio dominationem vestram in hoc mundo, regnum meum non est de hoc mundo.*

§. X.

Quamuis autem ingrediendo societatem Ecclesiasticam nemo a vinculo obligationis, quo ciuili Imperio obstringitur, liber fiat; verum tamen est in illa perfectam omnium membrorum aequalitatem esse, et ius cunctis idem¹. Vno siquidem omnes spiritu in unum corpus baptizati, et omnes in unam spem conditionis suae vocati². Neque functionum diuersitas

aut

4) ROM. XIII. 1. sequ. EPH. VI. 5. sequ. I. COR. VII. 20. ad PHILEM. 14. 20. I. PETR. II. 13. 14.

5) Tr. CXV. §. 2. in Iohannem. T. III. p. 577. edit. Benedictorum. Egregie PVFEND. de H. R. C. §. 17.

1) MATTH. XII. 50. ACT. II. 29. 37. GAL. III. 28. COL. III. ii. ad PHIL. 16. 2) I. COR. XII. 13. EPH. IV. 4. COL. III. 15.

24 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

aut Charismatum praestantia praerogatiuam iuris inducit, nec quod alii Doctores sint, et Mysteriorum dispensatores, alii Auditores, quae duo summa genera ³ eorum habentur, quotquot in eam sunt recepti; sunt enim omnes vnius corporis membra: quam in rem plane diuina est PAVLI philosophia ⁴: qui alio ⁵ loco tradit, totam hanc oeconomiam spectare *ad condendos sanctos, ad operis ministerium et Christi corporis extructionem, donec perueniant omnes ad fidei unitatem cognitionemque Dei filii, in virum adultum, ad modum plenae aetatis christianaæ.* Sane docentis munus ⁶ in instruendo, explicando, monendo, confutando, consolando, corripiendo, emendando, denunciando iram Numinis impenitentibus, poenitentiam ostendentes absoluendo occupatum, nihil coactionis ⁷ aut poenae ciuilis in

3) Hanc divisionem moderni fere omnes, in quibus etiam ZIEGLERVS *ad Lancellott.* L. I. c. IV. p[ro]ae altera ista, in CLERICOS et LAICOS, malunt, quae ex ipsis Ritus Romani Viris doctis nonnullos inuenit, qui virgula censoria eam notarent, et aegre ferrent, nomen in sacris literis toti Ecclesiae commune alterutri speciei, cum iniuria alterius et dispendio notabili, proprium factum esse. Certe antiquissimam esse et scriptoribus ecclesiasticis tertii seculi iam familiarem, negari non potest: quo in argumento egregie versatus est III. BOEHMERVS *Diff. VI. Iuris antiqui Ecclesiastici.* Conf. BINGHAM V M L. I. c. IV. toto: tolerari etiam posse, modo recte explicetur, nemo forte ambiget, qui nominibus ex impositione vim suam constare cogitet. Sed cum species sibi oppositae non sint, et olim quidem abusibus non ferendis ansam praebuerit, magis consultum est, ab ea abstinere, et alteram illam, quae rem ipsam explicat, admittere. Conf. DN. PFAFFIVM O. I. E. p. 114.

4) I. COR. XII. 7. usque 30.

5) EPH. IV. 12. sequ.

6) Conf. CHEMNIT. P. II. L. XIII. S. I. c. 1. §. 3. et PVFEND. de H. R. C. §. 33.

7) Vid. LV C. XXII. 25. I. PETR. V. 3.

in se habet, vnde Imperium vel Iurisdictio colligi posset. De excommunicatione, quae propior huic videtur, postea dicemus. Et ne quis vel umbram dominatus aut Imperii, et quae inde venit Iurisdictionis, captaret, Apostolis, et potestate sibi concessa et charismatum excellentia reliquis omnibus Doctoribus praestantibus, quo minus *Rabbi*, solemni tum Synagogae nomine, forte quod aequiuocum esset, et simul Dominum⁸ significaret, se salutari paterentur, seuere a Magistro summo et unico interdictum⁹.

§. XI.

Materia tribus potissimum, *cultu Numinis* externo, *disciplina* et *bonorum communium administratione* absolvitur. *Cultus* diuini *praecipuae* partes sunt *praedictio Euangeli*, siue doctrinae salutis reuelatae, et *dispensatio Sacramentorum*¹: quibus *accedunt* preces, hymnodiae, litaniae et ritus sacris conuenientes. *Disciplina* consistit in regula agendorum et fugiendorum, et in castigatione violationis: *administratio* autem ad bona omnia extenditur, quae vel corporalia sunt, res nimirum sacrae², et ecclesiasticae, vel incorporalia, quae in iure consistere dicuntur.

D

§. XII.

8) v. BLONDEL. *de la primauté* p. 264.

9) MATTH. XXIII. 8. 10.

1) MATTH. XXVIII. 19. MARC. XVI. 15. AVG. CONF. art. V.

2) Ut sacra res nullius sit, iuris est, constituti. Vide GROTIUM L. III. c. V. §. 2. deinde et illa constitutione administratio non excluditur.

26 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

§. XII.

*Potestatem et modum coniungemus, quod hic in illa exequenda occupetur. Quae huc pertinent, aut constitutionem coetus ipsius, aut agendi rationem circa materiam, quam modo designauimus, respiciunt. Ad constitutionem quod attinet, ea duobus aetibus perficitur, coalitione coetus, et ordinatione muniorum ad directionem cultus, disciplinae et administrationem bonorum communium necessariorum. Coalitio in coetum, societatem, collegium, sacrorum causa, aetus quidem est externus ciuium et talis, qui directioni Imperantis subest, sed, cum fini ciuitatis non contrarietur, ex genere permissorum est, donec aliud ab Imperante statuatur. MARCIANI¹ Icti dictum est: *religionis causa coire non prohiberi, dum tamen per hoc non fiat contra SC. quo illicita collegia arcentur.* Nec enim requiritur, vt praecedat directio Imperantis, sed et intercedere et subsequi potest. Nititur autem coalitio solo libere coeuntium pacto, de communibus sacris habendis, quod omnes, qua tales, inter se sint aequales², nemini in alterum Imperio competente vel vi coactrice: vnde consequens est, caetera quoque cuncta ad constitutionem et conseruationem coetus pertinentia liberis omnium suffragiis agi. Retinere etiam eam formam, quam diu sibi relinquitur, Ecclesi-*

am

1) *I. i. §. i. π. de Collegiis et Corporibus.* GROT. *de I.S. P.c. VII. §. 3.*

2) *I. PETR. II. 5. 9. APOCAL. V. 10. CONRING. ad Lampad.*
P. I. §. 25. PVFEND. de H. R. C. §. 41. 42. ex professo Dn.
BOEHM. Iur. Eccl. L. I. tit. 33. §. 9. seqq.

am, dicendum est; quod plerumque hodienum³ obtinet
iis in locis, in quibus priuata tantum sacra instituere per-
mittitur. Eiusmodi fuit facies Ecclesiae primorum secu-
lorum, postquam a Synagoga semet separauit. T E R-
T V L L I A N V S ⁴: *corpus* (quod nomen generale est
omnium societatum, hetaeriarum, collegiorum, so-
dalitiorum, vt recte notauit HERALDV S ad hunc
locum,) *sumus de CONSCIENTIA RELIGIO-*
NIS, et DISCIPLINAE VNITATE, et SPEI
FOEDERE. COIMVS in COETVM et CON-
GREGATIONEM, vt ad Deum quasi manu facta pre-
cationibus ambiamus orantes: et paucis interiectis: COI-
MVS ad literarum diuinorum commemorationem etc. Pu-
blicus cultus demum sub Principibus Christianis coe-
pit, Basilicis consecratis et ciuibus sacris per dioce-
ses descriptis; qua de re hic non est differendi locus.

§. XIII.

Proxima post coalitionem cura est in *constituendis Pastoribus*, et *ministris* cultui iuuando et admini-
strationi rei communis aptis. *Electionem Pastorum*, siue
illorum, qui gregem verbo et sacramentis pascant,
iuris diuini esse nonnulli afferunt¹, quod non ita ca-
piendum est, ac si praeceptum hac de re ullum ex-
tet; sed quod et Iuris naturalis rationi conueniat, vt
societati vel collegio liberum sit eos constituere, qui
ei praesint, et quod electio penes totum coetum ab in-

D 2

cuna-

3) Conf. Dn. BOEHM. *Iur. Eccl. L. I. T. 2. §. 98.*4) *in Apologetico c. XXXIX.*1) Vid. SCHILT. *I. I. E. L. I. 14. 2.*

28 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

cunabulis ² Ecclesiae et pluribus post, sub Principi-
bus etiam Christianis, seculis steterit; etsi mutationi
potuerit esse obnoxia: siue quod coetus ius suum ali-
is delegarent, cuiusmodi quid in Alexandrina Eccle-
sia accidisse vero simile est, de qua HIERONY-
MVS in famosissima illa ad Euagrium Epistola ³:
*Alexandriae a Marco Euangelista vsque ad Heraclam
et Dionysium Episcopos PRESBYTERI semper vnum
Ex SE ELECTVM in excelsiore gradu collocatum
EPISCOPVM NOMINABANT: siue quod Imperantis interueniret auctoritas, quod ultimum tamen
primis faltem tribus seculis factum non esse, certa
fatis fide constat.* Fata electionis texere nostrum iam
non est; ea tamen compendiose recensuit Ill. BOEH-
MERVS ⁴, quem adire operae pretium erit. Con-
stitutione autem Pastorum legitime peracta, illa
diuisio personarum oritur in DOCTORES et AV-
DITORES. Comitantur porro munus docendi
et dispensandi sacramenta simul custodia doctri-
nae, ordinis et disciplinae; quod nemo iam apti-
or sit ad eam exercendam, quam qui sacra tractat,
et opinionem scientiae et probitatis apud reliquos ad-
secutus: sed sub oculis societatis. Habet tamen
haec potestas nihil commune cum Imperio aut Iuris-
dictio-

2) ACT. I.23. XIV.23. Copiose ZIEGLERVS de Episc. L. II. c.1.
§.5. seqq. ex professo BLONDELLVS de iure Plebis in regimi-
ne Ecclesiastico. p.17. seq. CHEMN. P. II. L. 13. S. 4. §. 12. seq.

3) LXXXV. illa nimurum, quam BLONDELLVS in apologia pro
Hieronymo scripta defendendam sumvit. vid. c. 24. dist. 93,

4) Iur. Eccl. L. I. t. 6.

ditione, quod ex natura muneric §. X. iam ostensum, nec esse posse, ex consecrariis 4. 5. 6. §. IV. ad ductis apparet. Is, cuius auctoritate plures iam usi sumus, **TERTULLIANVS**⁵: *differentiam inter ORDINEM et PLEBEM constituit ECCLESIAE AVCTORITAS.* De caeteris, qui vel cultui iuuando adhibentur, aut curam rei communis gerunt, plane non est, ut dubitemus, eorum ab Ecclesia constitutionem pendere, cum officiales suos diligendi ius omnibus collegiis licitis proprium credatur, idque primitiuae Ecclesiae usus corroboret⁶.

§. XIV.

Modus agendi pro diuersitate materiae, quam triplicem §. XI. *indicaimus, variat. Verbum et sacramenta quoad substantiam suam immutabilia sunt, nec in hanc quicquam iuris Ecclesiae competit*⁷: *conditamen ab hac possunt symbola*², *id est fidei confessiones ad coelestis veritatis analogiam compositae, siue eas vtilitas societatis suadeat, siue defensio doctrinae et depellendae calumniae exprimat necessitas. Iudicat etiam de fidei capitibus, et errores damnat, in so-*

D 3 le-

5) *de exhortatione castitatis c. VII.*

6) *Act. VI.* siue **DIACONOS**, quae communior tententia; vid. **ZIEGL.** *de Diaconis c. III.* siue **PRESBYTEROS**, quod vifum est **III.** **BOEHM.** *Diff. VI.* eo loco institutos dicas.

1) **GAL. I. 8.9.** **TERTULLIANVS** *de veland. Virg. c. I.* *Regula fidei UNA omnino erat, sola IMMobilis et IRREFORMABILIS per vniuersam Ecclesiam.*

2) *Memorantur symbola Ecclesiarum Hierosolymitanae, Caesaren-*

30 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

lemnibus congregationibus³, quas *synodos* dioecesanas vocant; cuiusmodi tribus primis seculis congregatas, cum Ecclesiarum inter se adhuc nulla, vel admodum rara et voluntaria tantum esset subordinatio, plerasque censendas esse, summa probabilitate defendit. Etsi enim fuerint quaedam eorum seculorum ex plurium Ecclesiarum principibus membris coactae, atque e re fuerit illorum etiam temporum, fidei et disciplinae causas communicato consilio definire, omnes tamen istiusmodi conuentus arbitrarios et compromissarios extitisse, fatendum est. Caeterum a doctrina immutabili segreganda sunt praecepta diuina tempori locoue accommodata, in quibus illud de abstinentia a sanguine et suffocato a REFORMATORIBVS nostris collocatur⁴; et consilia, quae a praeceptis Domini sollicite separat Apostolus⁵.

§. XV.

In Ritibus ad externum Ecclesiae cultum spe-
ctan-

ensis in Palaestina, Alexandrinae, Antiochenae, Aquileiensis, de quibus luculenter egit BINGHAMVS L.X.c.IV. §. 8. seqq.

3) Dioecesanarum in causis etiam fidei exempla adduxit BINGHAM. L II. c. XIX. §. ii. Illis Synodi appellationem abuidicat GROTIUS de I. S. P. c. VII. §. i. sed praeter rem. Conf. SCHILT. I. I. C. L. I. T. IV. §. 5. Can. Apost. XXXVII. recentioris instituti est, et Can. XXI. Antiochenae, quem in notis ibidem allegat ZONARAS non est primae sub Aureliano, sed secundae sub Constantio celebratae. Caeterum Antiochenam primam, in Causa Pauli Samosateni, plurium Episcoporum fuisse, memorat idem ZONARAS in pr. Synod. Antioch. secundae.

4) AVG. CONF. Art. VII. §. 18. Vide CHEMNITIVM P. I.
Loc. II. S. 7. 5) I. COR. VII. 12. 25.

stantibus, quorum complexus et regula Graecis Liturgia¹, Latinis Missa dicitur², quatenus iure diuino non sunt praescripti, (hi enim itidem sunt immutabiles³,) maior illius libertas agnoscitur. Primis temporibus singulis fere Ecclesiis suas fuisse Liturgias peculiares, et earundem concinnationem, ex delegatione Ecclesiae, ad curam Episcopi spectasse, seculis vero sequentibus Ecclesiis singularum Provinciarum Metropolitanae ritum secutas esse, obseruauit doctissimus BINGHAMVS⁴: quo illae quoque referendae sunt, quae auctorum certorum nomina prae se ferunt, qualis quae CHRYSOSTOMO⁵ adscribitur, in usum forte Constantinopolitanae confecta. Certe Mediolanensis ab Ambrosio Ambrosiana dicta⁶. Nationalium etiam Ecclesiarum Liturgiae celebrantur, Africana, Hispanica, sequioribus temporibus Mozarabica appellata⁷, Gallicana, Hibernica.

ca.

- 1) du FRESNE in *Gloss. med. et inf. Graecitatis*, v. λατρεγίας.
BINGHAM L. XIII. c. 1. §. 13.
- 2) du FRESNE in *Gloss. mediae et infimae Lat. v. MISSA*. Nimurum Missae duae partes fuerunt, vna *Catechumenorum*, prima cultus diuini portio, ad quam omnium ordinum homines admissi; altera *fidelium*, communicantibus peculiaris et propria. Vid. BINGH. *ibid.* §. 2. 3. matutinarum et vespertinarum missarum mentio in *can. XXX. Conc. AGATH. a. 506.* celebrati.
- 3) CHEMN. P. II. l. 1. S. n.
- 4) L. XIII. c. V. §. 1. 2. Confer. et *sequentes* §§. quibus rationes antiquissimarum liturgiarum explicantur.
- 5) Conf. du FRESNE v. λατρεγίας et BINGHAM L. eod. c. VI.
- 6) Eam explicat MABILLON. de *Liturgia Gallicana* L. I. c. II. §. 7. seqv.
- 7) Mozarabes Christianos in Africa et Hispania versantes suo tempore, id est seculo XIII. dictos, obseruauit IACOBVS a VITERBIIS.

32 DE FUNDAMENTIS CAVSARVM

ca⁸. Litaniae quoque variae⁹: quinimo cantus diuersi, *Romanus*, *Gallicanus*, quem Pipino Rege modulis

TRIACO in *Hist. Iherosolym.* c. LXXX. in collectione BON-GARSIANA gestorum Dei per Francos, T. I. p. 1095. verba ipsa adscribam, cum rem contineant non omnibus notam. Illi vero Christiani, qui in Africa et Hispania inter occidentales Saracenos commorantur, MOSARABES nuncupati, latinam habent literam, et latino sermone in scriptis vtuntur, et sanctae Romanae Ecclesiae, sicut alii Latini, cum omni humilitate et deuotione obediunt, ab articulis fidei vel sacramentis in nullo deuiantes. Constituunt autem sacramentum altaris de pane azymo, quemadmodum alii Latini. Sequuntur dein, quae ad Liturgiae illius peculiarem constitutionem pertinent. Sanctam autem Eucharistiae formam quidam eorum in septem partes diuidunt, alii vero in nouem, cum tamen Romana Ecclesia et alii eidem subiecti ipsam Eucharistiam in tres tantum partes partiantur. Huiusmodi autem partitio, cum non sit de substantia sacramenti, non variat vel impedit veritatem sacramenti. Partes ipsas exponit MABILLON. ibid. §. 10. seq. Missale huius ritus iussu Cardinalis Ximenit, Toleti 1500. in fol. exiit, cuius exemplum seruat Bibliotheca Amplissimi Senatus Lipsiensis. Cum liber rarissimus inuentu fit, adiiciam, quae in calce eius habentur, lectu sane digna: *ad laudem omnipotentis Dei nec non virginis Marie matris eius, omnium sanctorum sanctorumque.* Expletum est missale mixtum secundum regulam beati ISIDORI dictum MOZARABES: maxima cum diligentia perfectum et emendatum per reuerendissimum in vitroque iure doctorem dominum Alfonsum Ortiz Canonicum Toletanum. Impressum in regali ciuitate Toleti, iussu reuerendissimi in christo patris, dni. D. FRANCISCI XIMENES, eiusdem ciuitatis Archiepiscopi. Impensis nobilis Melchioris Gorricii, Nouariensis. Per magistrum Petrum Hachenbach, Alemannum. Anno salutis nostre millesimo quingentesimo, die vero nona mensis Ianuarii.

8) MABILLON. L. I. c. 2. toto. BONA in rerum Liturgicarum libris. BINGHAM L. XIII. toto.

9) CHEMNIT. qui diuersas exhibet P. III. Loco IV. S. V. c. 3.

dulis Romanis aptauit Zacharias Papa^{io}. Cantum Treuirensis Ecclesiae seculo X. instaurauit R E G I - N O , eiusdem dioeceseos Abbas Prumiensis , in libro de *harmonica institutione* nondum vulgato ⁱⁱ.

§. XVI.

Ad *disciplinam* ordo dicit, quam bimembrem constitui, *regulam* agendorum et fugiendorum et *castigationem* violationis. Nec enim sola castigatio disciplinam exhaustit, etsi nomen hoc aliquando illi soli tribuatur, sed et regula agendorum et fugiendorum requiritur, praesertim, si in eum censum, quod sane fecit seueritas primi aeui, nonnulla referantur, quae absque illa sine censura dimitterentur. *Vltra iura naturae* in libidine coercenda processum, alicubi testatur

E

tur

io) CAROLVS M. L. I. contra Synodum Graecorum *de imaginibus*. Locum habes apud PITHOEVM in *Glossario ad libros Capitularium*. v. CANTVS GALLICANVS. Conf. M A - BILLON. L. I. c. III. §. 2.

ii) Codex praestantissimus et forte vnicus, qui librum istum exhibet, membranaceus est in forma octaua, characterem seculi X. vel XI. prae se ferens, quondam Bibliothecae V. C. G E R H A R D I van M A S T R I C H T , nunc Bibliothecae Senatoriae Lipsiensis κεμπνίατον. Praemittitur prolixa introductio in Musicam Ecclesiasticam ad Rathbodium, Archiepiscopum Treuirensim, cuius iussu et libros de *Ecclesiasticis disciplinis* eum scripsisse refert TRITHEMIVS *de scriptoribus ecclesiasticis*. Sequuntur *antiphonalia* et *responsonalia* notis musicis illius aetatis instruta, cuius generis codices nonnullos commemorat doctissimus Chronici Gotwicensis editor T. I. L. I. c. V. §. 7. Huius certe libri, qui Reginonis nomen habet, nec veterum, nec recentiorum meminit quisquam. Eum ipse BALVIZIVS ignorauit, quod ex illius praefactione et notis ad eundem Reginonem de *Ecclesiasticis disciplinis* palam fit.

34 DE FUNDAMENTIS CAUSARUM

tur TERTULLIANVS¹. Regulam disciplinae ad seriem Decalogi accurata diligentia recensuit BINGHAMVS². Vtramque partem coniunxit idem TERTULLIANVS³: *disciplinam PRAECEPTORVM inculcationibus DENSAM VS. Ibidem etiam EXHORTATIONES, CASTIGATIONES et CENSURA DIVINA.* Nam et IUDICATVR magno cum pondere, vt apud certos de Dei conspectu; summumque futuri iudicij praeiudicium est, si quis ITA DELIQVERIT, vt a COMMUNIONE ORATIONIS et CONVENTVS, et OMNIS SANCTI COMMERCII relegetur. Praesident PROBATI QVIQUE SENIORES, honorem illum non pretio, sed testimonio adepti, neque enim pretio vlla RES DEI constat: quibus simul et gradus castigationum, et ratio tractandi innuuntur. Etsi vero poenitentiae publicae, quam ea aetate inuestigata fuisset, ex eodem scriptore certum est, mentio non fiat, quod illa tum non esset castigatio communionis Ecclesiasticae participum, sed medium eos, qui ista excidissent, Ecclesiae, si enormitas peccati non obstaret, reconciliandi, atque ita CENSURAM DIVINAM sequeretur⁴, nihil tamen impedit, quo minus

1) *de pudicitia c. IV.*

2) *L. XVI. toto.*

3) *in Apologet. c. XXXIX.* alia exempla suppeditauit BINGH. *L. XVII. c. 5.*

4) Duo hanc in rem loca noto, vnum CYPRIANI Epist. LII. ad Antonianum et AVGVSTINI Enchiridii c. LXV. Videbis SIRMONDVM hist. poen. publ. c. 2. PETAVIVM de la penitenc-

nus et ipsam partem disciplinae castigatricis statuamus; quod, nisi ea peracta, ad Ecclesiam redditus non esset. Multum vero hic debetur *confoederatiōni disciplinæ*, quam initio secundi iam post Christum natum seculi viguisse, ex PLINII *Iunioris*⁵, tum Bithyniam Propraetore regentis, relatione ad TRAIANVM Imperatorem videre licet: vt nec captandæ sint voices TERTULLIANI, *iudicatur*, *praeiudicium*, *praesident*, quae omnes ad cognitionem illam paeticiam referri debent. Illud vero meretur obseruari, *praesidere probatos quosque seniores*, et quidem, *honorem illum testimonio adeptos*; quod indicium facit, non Episcopum et Presbyteros, saltem non solos, quod magno conatu hic agit DES. HERALDV⁶, sed seniores quosuis probatae fidei, etiam Laicos, cognitioni eo tempore, id est, seculo tertio ineunte, praefuisse⁷. Posse autem a collegiis vel societatibus certum disciplinae modum in vim paeti constitui, et naturali rationi et iuri nostro congruit⁸.

E 2

§. XVII.

nitensē publique L. II. c. 2. ex nostratisbus CHEMN. P. IV. L. III. S. II. c. 1. et Dn. BOEHMER. Diff. III. Iur. Eccl. antiqui §. 23.30.

- 5) L. X. Ep. 97. Vide BALDVINV^M ad edicta veterum Princip. Rom. de Christianis p. 46. seqv. edit. Basl. SELDENV^M de Synedriis L. I. c. VIII. p. 131. edit. Amst. ex professo autem de disciplina confoederata Dn. BOEHMER. Diff. III.
- 6) in Comment. ad TERTULLIANI *Apologet.* p. 555.
- 7) BOEHM. Diff. III. §. 63.
- 8) Vid. l. 4. π. de Colleg. l. 6. π. de decret. ab ord. fac.

§. XVII.

Disciplinae castigatricis procul dubio supremus gradus est exclusio a societate Ecclesiastica, quam *maiorrem vulgo excommunicationem* nuncupant, de qua, num a confoederatione pendeat, an altiori principio debeatur? varie a viris doctis est disputatum¹: quemadmodum et illud quae situm, an poenae ciuilis rationem habeat, numue ex illa Iurisdictio quaedam Ecclesiae propria recte possit argui²? Posterior quaestio magis huius loci est, ad cuius ut et prioris discussione plurimum facit excommunicationis, in se consideratae, naturam et indolem nosse, quae quidem, ut ex loco TERTULLIANI §. praecedenti adducto patet, ea est, ut is, qui ita deliquit, ut plecti dignus iam haberi possit, praeuia exacta cognitione et matura sententia, a communione orationis et conuentus et omnis sancti commercii separetur, hoc est, ut ab eius communione tota societas Ecclesiastica abstineat; ex quo non potest non illud sequi, ut is, a quo ita abstinet, simul communione omnium sacerorum societatis carere teneatur. Atque tale quid Ecclesiae diuino iure

1) Prolixo Dn. PFAFFIVS O.I.E. c. I. art. 2. in notis lit. g. et h. Certatum cum primis de mente verborum Christi MATTH. XVIII. 15. 16. 17. GROTIUS ad h.l. p. 319. postquam eum de reductione fratris errantis in rectam viam agere dixisset, ex eo tamen non absurde argumentum ad excommunicationem duci posse fassus est. Quae relatio fratris est ad fratrem ad bonam frugem redire nolentem, eadem est universitatis Ecclesiasticae ad membra, in quibus nulla spes emendationis appetit.

2) Conf. PVFEND. de H.R.C. §. 28.

iure non solum licere, sed et ut faciat incumbere, haud vno loco inculcatum : vt ideo, re ipsa inspecta, confoederatione opus hic non sit, quamuis consultum possit esse, confoederationem iniri quoad determinacionem causarum, ordinem et effectum cognitionis. Deinde excommunicatio non tam in priuatione immediata iuris consistit, quam in necessaria cessatione applicationis iurium societatis ad personam ex mutatione aptitudinis, vitio illius contingente, oriunda: vnde fit, ut aptitudine illa redeunte, et ipsa applicatio iuris reuertatur, etsi fieri queat, quod itidem confoederationis quondam fuit, postea lege fanciri potuit, ut applicatio iuris actus quosdam externos, fidem sincerae mentis ostendentes, demum subsequatur. Inde vero liquet, excommunicationem plane ad modum ciuilis poenae non esse comparatam, et dum cessatione applicationis iurium societatis Ecclesiasticae ad personam circumscribitur, eam effectus ciuiles producere non posse; adeo, ut si qui eiusmodi eam comittentur, ii non ex natura ipsius sint, sed a potestate ciuili proficiisci debeant⁴, cuius arbitrio relictum est, eidem formam poenae et Iurisdictionis ciuilis addere.

§. XVIII.

Administratio, ut acquisitionem supponit, ita hanc etiam Ecclesiae in ciuitate liberam esse, quam diu a

E 3

sum-

3) IOH XX. 23. ROM. XVI. 17. I. COR. V. 11. II. THESS. III. 6.
Conf. G R O T , de I. S. P. c. IX. 9. et Dn. P F A F F . lit. pp. pag.
71. et rr. p. 76.

4) CONRING. ad Lampad. P. I. §. 27.

38 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

summa potestate nec prohibetur nec restringitur, ex eo manifestum fit, quod illa libertatis naturalis sit, et cum singulis competat, non minus pluribus ad licitum finem consequendum consociatis debeat licere¹. Arcam certe, siue pecuniam communem, ad morem aliorum Collegiorum², sodalitia Christianorum a prima sua origine³, et posteris temporibus, habuerunt, sed quae solis fere fidelium oblationibus constaret, et erogandis eleemosynis inferuiret. **T E R T V L L I A N V S**⁴: *etiam si quod arcae genus est, non de oneraria summa quasi redemptae religionis congregatur. Modicam vnuquisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis, nec potaculis, nec in gratiis vocatrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus, item naufragis, et si qui sunt in metallis, et si qui in insulis, vel in custodiis duntaxat ex causa Dei sectae alumni confessionis suaefiunt.* Beator deinde conditio Ecclesiarum facta, postquam restituto eis a **C O N S T A N T I N O M.**⁵ ex testamenis capiendi iure, res illarum sensim augeretur et incrementa sumeret. Porro ex acquisitione proprietas,

1) Conf. *Dn. BOEHMER. de I. Par. S. V. c. 3. §. 3. seqq.*

2) *L. l. §. 1. π. quod cuiusque vniu. l. 3. pr. π. de colleg. et corp.*

3) *A C T . IV. 34. sequ.*

4) *Apologet. c. XXIX. Conf. ZIEGL. de dote Ecclesiae c. III.*

5) *I. l. C. de SS. Ecclesiis, quae eadem est cum l. 4. C. Th. de Episcopis, si modo prima, et non potius declaratoria legis iam ante latae, quod visum GOTHOFR. ad h. l.*

tas, ⁶ ex hac vero libera administratio oritur, quae non eotantum valet, vt integrum sit Ecclesiasticae societati facultates suas certis vſibus, exempli causa, cultui diuino, alendis Pastoribus, ministris, egenis, fabricae templorum, et qui alii sunt, destinare, sed et oeconomos constituere ad rem communem tractandam, aut illorum constitutionem aliis delegare, qua ratione ad Episcopos rerum ecclesiasticarum inspectionem quoniam translatam esse, ab aliis est obseruatum.

§. XIX.

Finem cum geminum, quem Deus ter optimus maximus in vocatione hominum ad Ecclesiam in his terris, eiusque conseruatione et propagatione intendit, alterum *subordinatum*, hominum e tenebris ad lucem conuersionem, ex statu irae in statum gratiae translationem, et vitae aeternae gratuitam collocationem, alterum *primarium*, ipsiusmet gloriam, Theologi statuant; geminum quoque finem in externam societatem Ecclesiasticam coalescentes propositum sibi habebunt, *primarium* quidem gloriam summi Numinis, *subordinatum* autem, adeptionem aeternae salutis. Vterque supponit confociationem internam illam ctim Deo ², quae fundamentum est externae Ecclesiae, adeo, vt cui illa cum Deo non intercedit, nec externae membrum sit, etiamsi eidem externa professione aggregetur ³.

§. XX.

- 1) De dominio rerum ecclesiasticarum ad singulas communitates ecclesiasticas pertinente M. A. de DOMINIS *de Republ. Eccles.* L. IX. c. 6. §. 11. seqv.
- 1) GERH. *in loco de Ecclesia* §. 303. 2) qua de *supra* §. VI.
- 3) APOLOGIA AVG. CONF. c. IV.

40 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

§. XX.

Considerauimus huc vsque Ecclesiam particularem primi generis, et quidem priuatam illam, suis tantum viribus nixam, consociationem¹, summa potestate vim legitimam in eam nondum exerente: vnde facile colligitur, quae natura eius vniuersim debeat existimari. Id nimirum satis apparet, eam in hoc etiam statu consideratam exhibere collegium quoddam (quae idea plerisque omnibus recentioribus² accommoda visa est,) siue societatem aequalem hominum, salutis regulam a Christo et Apostolis traditam externe profitentium, sacrorum communium causa, pacti religione vnitorem, quae partim diuinis legibus, partim suis institutis, illis ex necessitate, his ex libera conuentione, decente ordine, sed absque iurisdictione vlla ciuili, regitur; ita vt per se quidem sine regimine externo vis superioris queat subsistere, illud tamen recipiat, eique quoad actiones externas, quantum a lege diuina liberae sunt, si quidem placuerit summae potestati in eas imperio ut, sit subiecta.

§. XXI.

Illud etiam inde, vt supra iam innui, emanare putto, societas huiusmodi priuatas Ecclesiasticas, licet eiusdem ditionis, si principium spectes, inter se singulas aequales esse, quod vnaquaque propria conuentione coalescat et continueatur. HIERONYMVS³ sua

1) Conf. §. VII.

2) CONRINGIO, ZIEGLERO HVBERO, PVFENDORFIO, HORNIO, BOEHMERO, PFAFFIO, aliis.

3) In Epist. ad Euagrium, vid. c. 24. dist. 93.

sua adhuc aetate, id est seculo IV. quo plerasque, si non omnes, publicas iam factas fuisse certum est: *vbi-*
cunque fuerit Episcopus siue Romae, siue Eugubii, siue
Constantinopoli, siue Regini, siue Alexandriae, siue Thebis,
siue Guarmatiae, eiusdem meriti, eiusdem est sacerdotii.
Potentia diuitiarum et paupertatis humilitas vel S V B L I-
M I O R E M vel IN F E R I O R E M Episcopum non facit:
quod indicio est, nec publicam Ecclesiae constitutio-
nem, vel mutationem priuatae in publicam, cum sub-
ordinatione necessario coniunctam esse, nisi haec spe-
ciatim exprimatur.. Verum igitur et illud est, tribus
primis seculis, quibus omnes Ecclesiae adhuc priua-
tae erant, nullam inter eas fuisse subordinationem,
ideoque ne Concilium Prouinciale quidem, quod Pro-
uinciae Ecclesiasticae constitutionem, siue Metropo-
litanae et Ecclesiarum Prouincialium nexum, requirit,
qui que demum sub Constantino M. fuit stabilitus², co-
gi potuisse; sed si aliquando Synodus plurium Epi-
scoporum coierit, eam ex mutua tantum conuentio-
ne, siue ex compromisso³, celebrari debuisse. Neque

F

enim

2) *Can. IV. Conc. Nicaen. I. in fine.*

3) Sane Prouinciae imago est apud C Y P R I A N U M Ep. XLV. sed
quoniam lata fusa est Nostra Provincia; habet enim
Numidiam et Mauritanias duas sibi cohaerentes: at fuisse ne-
xum hunc magis obsequii spontanei et amoris, qui illis tempo-
ribus tantundem valebat, ac postea bonae leges, ex eo iudicari
poteat, quod idem ille sanctissimus Martyr plus uno loco aequa-
litudinem Episcoporum tueatur. Illius passim vox extat: quem-
libet Episcopum rationem sui actus Domino redditurum, nec
ab alio iudicari posse, ut nec ipse alium iudicat: quae directe
oppugnare iura Metropolitanorum agnoscit CONRINGIUS de
Constitut. Episc. Germ. §. XVI. Eiusmodi conuentus arbitra-

rii

42 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

enim audiendi sunt, qui diuisionem Prouinciarum Ecclasticarum a Christo et Apostolis institutam, Epistolis *Pseudo-Clementis*⁴, et *Pseudo-Anacleti*⁵, quas ad Isidorianas imposturas reiiciendas esse, nemo nescit, seu decepti seu decipi volentes, sine auctoritate idonea et omni veri similitudine, nobis persuadere conantur⁶. Illud tamen contigit primoribus illis seculis, vt quae ab Apostolis conditae essent Ecclesiae, quod aut ceterarum matrices agnoscerentur, aut in maximis ciuitatibus versarentur, apud reliquas in minoribus urbibus collectas singulari in rebus fidei et disciplinae auctoritate⁷ pollerent; vnde facilis gradus fuit ad subiectionem. Inde forte est, quod in Nicaena Synodo I. c. VI. cautum⁸: **ANTIQVI MORES seruentur, qui sunt in**

Aegy-

rii exemplum apud eundem in epist. supra adducta *ad Antonianum: persecutione*, inquit, *sopita*, *cum data esset facultas in unum conueniendi, copiosus Episcoporum numerus, quos integros et incolumes fides sua et Domini tutela protexit, IN VNV M CONVENIMVS etc.* Sub *Commodo* tales conuentus Episcoporum in controversia de die Paschatos acti; de quibus *EVSEBIUS L. V. H. E. c. 23. Synodi ob id COETVSQVE EPISCOPORVM conuenere.* Magnum hic usum praestiterunt literae *communicatoriae*, quae continuo inter Episcopos, quibus inter se esset communio, meabant.

- 4) *In Epist. I. ad Iacobum fratrem Domini*, apud *BLONDELLVM in Pseudo-Isidoro p. i. seqq.* quem ipsum vide in censura addita.
- 5) *C. i. dist. 99. ex Epist. Anacleti II.* quae est apud eundem *BLONDELLVM p. 120.* similis locus *Anacleti in Ep. I.* apud *eundem p. iii.*
- 6) *Conf. Dn. BOEHM. ad MARCAE L. I. c. 2. obs. 5.*
- 7) *PETRO de MARCA de C. S. et I. L. VI. c. i. satisfecit ZIEGLERVS de Episcopis L. I. c. IV.*
- 8) *Vid. ZONARAS in notis ad C. VI. Conc. Nicaeni.*

Aegypto, Lybia et Pentapoli, vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quemadmodum et Episcopo Romano hoc est consuetum; similiter et in Antiochia, et in aliis provinciis, sua priuilegia ac suae dignitates et auctoritates Ecclesiis seruentur: siquidem manifestum est, mores illos antiquos aeuum Constantini M. et transitum eius ad Christianismum, qui duodecim annis Nicaenum Concilium praeuertit, longissimo interuallo praecedere debuisse. Quicquid huius rei sit, illud saltem inficiandum non est, ex eiusmodi submissione spontanea nihil praeter inspectionem aliquam in cultum, disciplinam et administrationem bonorum in Ecclesiis subiectis, minime vero Imperium aut iurisdictionem, in fraudem ciuilis Poteftatis, enasci potuisse.

§. XXII.

Sed quo ista, inquires, rerum simulacula? quae si vel maxime quondam extiterint, iam pridem tamen desierunt. Quid magnopere refert scire, qua ratione se habuerint veterum Christianorum primis illis seculis fodalitia, cum inde a *Constantini M.* aeuo collegiorum publicorum formam assumferint? cum hodie nulla fere sit societas Ecclesiastica in ciuitate, quae publica non sit, hoc est, quae publica auctoritate non constat, et legibus ciuitatis non sit exculta? Enim uero cum exemplis eruditissimorum virorum, qui in hac arena vires suas sunt experti, me tueri possem, magis ad rem conducere arbitror, si rationes ipsas, quae huc me impulerunt, exponere aggrediar. Primo equidem satis est compertum, hodienum in ciuitatibus nonnullis eiusmodi societates priuatas Ecclesiasticas

F 2

sub-

44 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

subsistere, quae nuda conuentione coaluerunt, quibus ideo vi libertatis naturalis cuncta licebit facere ad sui constitutionem et conseruationem necessaria, quamdiu a summo Imperio non impediuntur vel prohibentur. *Secundo*, cum naturaliter liberum sit, sacrorum causa coire, consequens esse, coetum, quamuis in eum coeperit operari summa potestas, eatenus tamen liberum manere, quatenus libertas mandato imperantis mutationem non sit passa. *Tertio* denique, ingenitem vim inesse exemplis primi illius aei, quod videamus ipsos Apostolos, diuino spiritu actos, harum societatum autores esse, quos in ea re illicite versatos fuisse, vel cogitare piaculum fuerit.

§. XXIII.

Priuatas associationes excipiant *publicae*, quas publica auctoritate constantes et ordinatas §. VII. dixi. Quilibet animaduertit, diuersitatem hic peti a causa effectrice, atque adeo latius patere acceptionem altera illa, quae à forma deriuatur, de qua in iuris publici disciplina plenius agi confueuit. Forma enim considerata, priuata adhuc dici solet, quae extra locum sacris specialiter dedicatum, resectis cunctis externi ornatus solemnibus, ex formula praescripta, (quae quidem pro circumstantiarum varietate et ipsa variare potest,) cultui diuino vacat, quamuis quatenus legibus, consuetudine, vel pactis firmata et ordinata reperitur, iuxta priorem acceptionem, publica recte appellatur¹. Cum vero publicae natura et diuersae species

ex

1) Conf. HENNINGES. *Meditat. ad Instr. Pacis Art. V. §. 31.*
lit. d. p. 532. sequ. LINCKER. Cl. III. Resp. 18.

ex operationum diuersitate summae Potestatis circa societatem Ecclesiasticam suam demum firmitatem indipiscantur, consequens est, hac demum inuestigata, quod suo loco fiet, de illa certam sententiam ferri posse.

§. XXIV.

Interim illud in aprico positum est, ex associationibus his particularibus, priuatis publicisue, per nationem integrum aut imperii cuiusdam totius ambitum exsurgere Ecclesias particulares secundi et tertii generis, quas supra §. VII. indicaui. Non enim nationales solum, Hispanica, Gallicana, Germanica, sed et Orientalis et Occidentalis, particulares sunt, si ad complexum vniuersalis Ecclesiae comparentur; quemadmodum Concilium illud demum oecumenicum est, non quod ex Orientis tantum aut Occidentis Episcopis seorsim colligitur, verum quod ex totius orbis Christiani Ecclesiis legitime conuocatum congregatur. At cum supra demonstratum sit, quod Ecclesiae particulares primi generis singulae summo Imperio, in cuius ditione vigent, subsint; idem de toto, particularibus secundi et tertii generis, quae ex partibus illis componuntur, iudicium erit, quod non nisi sub reipublicae Capite in corpus aliquod evadant. Nam quod in concilio nationis aut Imperii ad deliberandum de fidei et disciplinae capitibus conueniant, non maioris erit efficaciae ad Ecclesiam nationalem vel Imperii, quam coitio Metropolitae cum suffraganeis ad Provinciam, vel Episcopi cum Presbyterio ad suam Dioecesin. Neque etiam ignotum est, inde ab eo tempore, quo

F 3

Prin-

46 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

Principes Romani Christo nomen dederunt, conuentus tales aut ab ipsis indictos, vnde illud HIERONYMI¹: *doce, quis Imperator hanc synodum congregari iussit?* aut veniam habendorum ab iis impetratam fuisse, quo iure Carolingiae etiam stirpis Imperatores et successores, ut et aliarum gentium Rectores, nemine relutante, vsos esse, inuita ipsorummet auctorum Conciliorum et Annalium fide comprobatum est². Nimirum, quod verissime obseruauit GROTIUS³, synodorum illarum iudicium saltem fuit declaratiuum et consilii instar, quod sequi meri arbitrii erat, cum et sine synodo possent statuere, et saepenumero statuerent summi Principes, nec canonibus illis vis obligandi inesset, nisi lege confirmatis⁴.

§. XXV.

Deuenimus tandem ad Ecclesiam *Vniuersalem*, quam non aliam esse posse, ac quae ex collectione particularium primi et secundi generis oritur, haetenus dicta satis euincunt. Penes hanc num sit imperium vel iurisdictio, ab eo tempore coeptum est disputari, ex quo in eo quidem, cum incredibili dispendio summorum Im-

1) *Apolog. adv. Ruffinum L. II.*

2) Luculenter GROTIUS *de I. S. P. c. VII. 4. 13.* CONRING. *de Conciliis §. IX. seqq. T. IV. Opp. ZIEGL. I. M. L. I. c. 15.* Conf. etiam MATTH. *Manuduct. ad Ius Can. L. I. Tit. 2.*

3) *I. alleg. Declaratiuum in rebus fidei; consultatiuum in rebus lege diuina non definitis.*

4) Optime CONRING. *§. XVIII.* vid. *§. sequ. n. 3.*

Imperiorum, conuenirent ecclesiasticis ordinibus adscripti, esse quoddam in sacris Imperium absolutum et a ciuili diuersum, circa formam tamen regiminis a se inuicem diuortium facerent, quam alii monarchicam, alii aristocraticam fingebant. Ut paucis rem expedi-
am, duo, quae ex praecedentibus iam certa haberi debent, in memoriam reuocabo. *Primum*, societates particulares Ecclesiasticas primi generis, siue topicas, summae potestati esse subiectas. *Secundum*, eandem subiectionem durare in societatibus Ecclesiasticis particularibus secundi et tertii generis siue Nationum et integrorum Imperiorum: vnde necessaria consecutio-
ne emergit, has in vnam Ecclesiae compagem, ideali quadam combinatione, redactas Imperium mutare non posse, sed singulas quasque eidem subditas manere. Igitur, quod vltterius inde emanat, nullum est in sa-
cris Imperium vniuersale; nulla Ecclesiae vniuersali est peculiaris forma Imperii, neque monarchica ne-
que aristocratica: (modum directionis in Conciliis generalibus, qui ordinem saltem processus continet, semper excipio:) igitur nec cogi potest Ecclesiae uni-
uersalis concilium, nisi a summis potestatibus, quibus secundi et tertii generis Ecclesiae particulares subsunt:
quod vtut olim, quando Christianus orbis cum τῷ οἰ-
κουμένῃ; siue orbe Romano, ex accidenti, iisdem ferme finibus concluderetur, facilioris operae fuerit, hodie tamen, diuisis vastissimi corporis membris, difficulter admodum, et nonnisi coniunctis summarum potesta-
tum animis et viribus, cuius rei vel vna Constantien-
sis synodus, incredibili labore Sigismundi Imperatoris aegre coacta, fidem faciat, praestari possit. Etsi ve-
ro

48 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

ro vniuersalium synodorum magna semper merito suo fuerit auctoritas, attendi tamen interest obseruationem SOCRATIS²: quod ex quo Imperatores Christiani esse coeperint, ex illis pependerint res Ecclesiasticae, et MAXIMA quaeque CONCILIA tum facta sint antea, tum hodieque (scripsit autem seculo V.) fiant. Certum siquidem est, Imperatores concilia illa generalia non solum conuocasse, sed et iis praefedisse, et decretis in iis conditis robur legum addidisse³: vt ideo vniuersalium etiam synodorum decreta et canones non sua vi, quod vt ante de nationalibus dictum, Patrum iudici-

um

1) Prouinciarum Romani Imperii complexus οἰκουμένη. Lvc. II. i. vnde oecumenicarum synodorum appellatio; κόσμος etiam l. 9. π. de lege Rhodia de iaētu: Constantinopolis ὁλε τῇ κόσμῳ μητρόπολις CHRYSTOMO, notante SALMASIO de Prim. Papae c. X. Roma CAPUT MUNDI, id est Orbis ex Romani iuris prouinciis constantis. Orbem suum Occidentis Imperium vocat HONORIVS in l. 20. C. Th. de Paganis sacrificiis et templis. Conf. l. 2. pr. C. de iureiurando propter calumniam. Hinc ineptae postea Glossatorum disceptationes de Imperio Mundi ad Imperatorem pertinente. Vide GROT. de I. B. et P. L. II. c. XXII. §. 3. I. GOTHOFR. ad L. αξίωσις c. VII. et RITTERSHVSIVM ad Guntheri Ligurinum p. 56.

2) H. E. L. V. in prooem.

3) SOZOMENVS quidem L. I. c. 9. legem latam a CONSTANTINO M. memorat: vt CONCILIORVM decreta firma et inconcussa manerent: quibus consentanea habet EVSEBIVS de vita eius L. IV. c. 27. Ipsi Patres Synodi oecumenicae Constantinopolitanae in synodali Epistola ad THEODOSIVM M. rogamus igitur tuam clementiam, vt per literas tuae pietatis RATVM ESSE IVBEAS CONFIRMESQUE CONCILI DECRETVM: et sicut literis, quibus Nos CONVOCASTI, Ecclesiam HONORE prosecutus es, ita etiam SVMAM EORVM, QVAE DECRETA sunt, CONCLVSIONEM SENTENTIA ATQVE SIGILLO TVO CORRO:

um in illis quoque saltem esset declaratiuum et consultatiuum, sed ex confirmatione demum summorum Imperantium obligandi necessitatem nanciscerentur. Non minus ingenue, ac vere, RICHERIVS⁴, Doctor Sorbonicus, de synodo prima oecumenica Nicaeae habita differens: *quae omnia ostendunt*, inquit, **CONSTANTINVM Imperatorem indixisse et conuocasse Concilium Nicaenum, eidemque praesedisse et ACTA CONFIRMASSE.** *Siquidem proprie loquendo Imperatores acta synodorum confirmare dicuntur, quando LEGE LATÆ cuncta in rem iudicatam transire iubent; quam ad rem COACTIONE et potestate absoluta opus est, qua ECCLESIA IVRE DIVINO CARET.* Supereft igitur, vt fateamur, nexum vniuersalis Ecclesiae sola doctrinae fidei conformitate, quam ad vnitatem satis habent Confessores nostri⁵, et charitatis mutuae vinculo colligari, ideoque vniōnem esse, vt vocant, non *καθ' ὑπεροχὴν*, sed *κατ' ισότητα*, cuius firma-menta praecipua olim fuerunt synodi generales, quibus praeter conseruationem vnitatis in doctrina conformitas etiam in potioribus rituum et disciplinae capitibus obtinebatur, et formatarum⁶ usus.

G

§. XXVI.

ROBORES. Conf. *Constitutionem MARCIANI in l. 4. C. de summa Trinitate, et IUSTINIANI Nou. VI.c. I. §. 8. et CXXXI. c. 1.*

- 4) H.C.G. L.I.c. 2. §. 8.
- 5) Avg. CONF. Art. VII.
- 6) *Formatæ, genus canonicarum vel ecclesiasticarum literarum, et nota inter eos, a quibus et ad quos dabantur, pacem ecclesiasticam, id est, conformitatem doctrinae, vigere: de quibus pleni sunt Conciliorum canones. SIRMONDVS ad Sidonium p. 66. in ἀπολυτικαῖς, dimissoriis, et συστημαῖς, commendaticias, partitur, quod*

50 DE FUNDAMENTIS CAVSARVM

§. XXVI.

Euoluta Ecclesiae indole, in qua nulla Imperii vel Iurisdictionis apparuerunt vestigia, origines tandem Iurisdictionis Ecclesiasticae, quae tantopere postea caput extulit, perscrutabimur. Eas a fundatore Ecclesiae, Filio Dei, non arcessi debere, satis, quae iam anticipauit dicere, commonstrant. Qui negauit regnum suum huius mundi esse, qui Regem se proclamari noluit, qui ius dicere renuit inter volentes, qui non habuit, vbi caput reclinaret¹, qui Magistratum sumorum in se suosque imperium et iurisdictionem non declinauit, quin suos afflictiones et persecutiones a ciuilibus potestatibus mansuras praedixit², et dirissimum

quod verum puto intuitu ecclesiasticarum personarum, quibus dabuntur; sed et *communicatorias* peculiarem speciem fuisse, libenter assentior FERRARIO L. I. c. 7. quemadmodum et εἰρηνικαὶ αὐτοτικαὶ separantur can. XI. Concilii Chalcedonensis generalis. Fuisse seculo VI. et VII. adhuc simplices, formulae apud SIDONIVM L.VI.8. et MARCVLFVM L.II.46.47. et apud veterem formularum auctorem, quem BIGNONIVS Marculfianis adiecit, n. XII. occurrentes satis probant; inde a seculo XI. autem elementa graeca certis locis, velut ex arcani quadam disciplina, adiecta apud BVRCARDVM, IVONEM et GRATIANVM, quem vide *Dist. 73. tota ex fragmento ATTICI Constantiopolitani*, quod νοθέας haud vanis argumentis conuicit BLONDELLVS *de la primauté en l' Eglise* p. 467. Ex instituto de Formatibus FRANCISCVS BERNARDINVS FERRARIUS *de antiquo ecclesiasticarum epistolarum genere, libris III. Mediolani 1613. 8.* (qui L. I. c. 2. GERHARDI RODOLPHI libellum memorat de literis canoniceis;) et PHILIPPVS PRIORIVS *in disp. de literis canoniceis, Paris 1675. 12.* Conferendi etiam SIRMONDV S. alleg. BIGNONIVS *ad veteres formulas c. XII. et ZIEGL. de Episcopis L. III. c. 33.*

1) Lvc. IX.58. 2) MATTH. X. 18. sequ. Ioh. XVI. v.1. sqq.

mum supplicium ipse subiit, qui Doctorem salutis et vindicem legis antiquae in omni vita se gessit, spontaneum saltem obsequium praestolans³, qui paulo ante redditum ad Patrem suos ad docendum tantum et baptizandum gentes emisit, eisque ad finem usque seculi se affuturum promisit⁴, ne fingamus eum auctorem noui Imperii nouaeque in terris iurisdictionis, quam cum a se, quod poterat⁵, sumere nolle, ab Imperio ciuili nec postulauit, nec unquam est consecutus. Sic ut vero ipsum miserat Pater, ita et misit suos⁶. Formula utriusque missionis⁷, et quae perditas Israelitiae domus oves, et quae gentes respicit, unice ad doctrinae propagationem pertinet; ad eam unice collimant genera diuersarum functionum et charismatum in Ecclesia, a gentium Doctore⁸ relata. Cum in ultima coena cum discipulis suis accumberet, inter hos de principatu ortam contentionem sic diremit⁹: *gentium reges in eas dominantur: quique eis imperant, gubernatores appellantur. At vos non ita: quin vestrum maximus perinde sit ac minimus: et qui praeest, perinde ac qui ministret.* Ipsa ligandi soluendique, peccata remittendi et retinendi, potestas mere est spiritualis; vis etiam

G 2 extra-

- 3) Lvc. X. 16.
 - 4) MATTH. XXVIII. 19. 20.
 - 5) MATTH. IV. 11.
 - 6) Ioh. XVII. 18. XX. 21. collatis cum Lvc. IV. 18. sequ. et XXII. 29. Conf. PVFEND. de H.R.C. §. 18.
 - 7) MATTH. X. et XXVIII. 19. sequ.
 - 8) I. COR. XII. 28. sequ. EPHES. IV. 11.
 - 9) Lvc. XXII. 25. 26. Vide dicta veterum in eandem sententiam apud ZIEGL. de Episcopis L. III. c. 30. §. 11. sequ.

52 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

extraordinaria, quam minati, aliquando et exercuerunt aduersus improbos, Apostoli, nihil iurisdictionis in se continet. Vnicum forte posset esse offendiculo, quod inuitis quoque magistratibus ^{io} debuerint profiteri veritatem coelestem : sed praeterquam, quod illud fuerit ex singulari pracepto eius, cui potestas data est omnis in coelo et in terra, ad fundandam Ecclesiam maxime necessario, illud in primis cogitandum, longe aliud esse, praeferre iussum diuinum humano, aliud se subducere Imperio et Iurisdictioni ciuilium potestatum, quam vbiique saluam et integrum voluerunt Apostoli, et iurisdictionem sibi arrogare, quam illi nunquam affectarunt. Sed haec forte in re clara iusto copiosiora.

§. XXVII.

Vndenam vero, inquies, primordia et caufae iurisdictionis illius ? Dicam, quod res est, initium quaerendum in ipsa indole societatis, siue collegii, quod vt suapte natura ita est comparatum, vt functiones ad se spectantes communibus suffragiis possit ordinare, rationem certam agendi introducere, statuta condere, controuersias ortas cognoscere, componere, decidere, quamdiu istae partes a summa vel vicaria potestate non occupantur ; ita idem in sodalitiis illis primorum seculorum ecclesiasticis euenisse tanto minus mirandum, quanto certius constat, nullam eorum curam a summis Magistratibus habitam fuisse. Accessit collegiorum instituendorum, dummodo publicis sanctionibus vetita non essent, illa aetate licentia, quodque Iude-

is

^{io}) M A T T H . X . t o t o . A c t . V . 2 9 . 4 1 . 4 2 .

is, sub quorum nomine, saltem primis temporibus, Romanis veniebant Christiani, moribus suis viuere permitteretur¹, quae cuncta quidem id effecerunt, ut liberior his res suas constituendi moderandique occasio suppeteret. Itaque illi synedria siue confessus ad formam iudiciorum instituere², quibus probati quique, ut supra dicebat TERTULLIANVS, seniores, Pastores et Laici, praeessent, qui ordinem in cultu et obseruationem disciplinae, ex regulis diuiniae legis et confoederationis, curarent, causasque emergentes sollicite expenderent et iudicarent. Etsi vero illa cognitio principio ad res solas societatis et membra, qua talia, spectaret, ac conuentione totius vniuersitatis niteretur; breui tamen aliud cognitionis genus adiectum, postquam illi, quibus lis de quacunque re alia extra societatem esset, et Christi³ et Pauli⁴ praceptorum memores, quorum ille de rebus, quibus facile caretur, litigiis interdixerat, hic Corinthios, quod coram tribunalibus Gentilium, ineuitabili nominis Christiani de honestamento, rixarentur, se uere obiurgauerat, eosdemque ad arbitros ex suis de-

G 3 lega-

1) Ex edicto CLAVDII apud IOSEPHVM *Antiqu.* L. XIX. c. 5. Prolixo SELDENVS de *Synedris* L. I. c. 8. sacrorum libertas etiam antiquior, et Iudeis, ut videtur, a POMPEIO et GABINIO relicta. Conf. SPANHEMII *orbem Romanum* c. XI. edit. Londinens. 1703. p. 323.

2) Vid. Dn. BOEHM. *Diss. VII.* quae est de *confessu ordinis Ecclesiastici*.

3) MATT. V. 40. sequ. ad quem locum praecclare commentatus est GROTIUS.

4) I. COR. VI. 1. seqq.

54 DE FUNDAMENTIS CAUSARUM

legauerat, controuersias suas ad Ecclesiam aut Ecclesiae senatum ex compromisso deferrent, eiusque decisioni submitterent⁵. Porro, licet nomina Episcopi et Presbyteri initio promiscue acciperentur⁶, inualuit tamen pedetentim, vt illi proprium Episcopi nomen cederet, qui primus inter Presbyteros esset, et cum praerogatiua sessionis directione quadam in senatu Ecclesiae defungeretur; quo factum, vt initio seculi IV. quando *Constantinus M. Imp.* deserta gentilium superstitione ad Christianorum sacra conuerteretur, nulla iam vrbs paulo spectatior intra amplissimi Imperii terminos censeretur, quae suum Episcopum non haberet. Effecit autem, quae in primis illis Ecclesiarum praesulibus cum scientia rerum diuinarum coniuncta erat morum probitas et vitae sanctimonia, vt delegata iis a societate potiori curarum parte, singuli quoque, sicuti litibus implicarentur, ad eorum arbitrium configurerent, inque illorum sententia acquiescerent. Neque hoc ipso tamen iudices fiebant, aut potestate iuris dicundi exequendique aduersus iniuitos, quae demum vera est iurisdictio, potiebantur, sed res omnis compromisso partium stabat, quae, si minus obsequentes essent, iam vi legitimi Magistratus

ad

5) De his originibus egregie differit *S A R P I V S L. IV. p.297. seq.*

6) Copiose *HIERONYMVS in Comm. in Epist. ad Titum et in Epist. ad Euagrium*, cuius sententiam defendit *B L O N D E L L V S in Apologia pro Hieronymo*. Argumentis a Timothei et Titi Episcopatu deriuatis satisfecit *Dn. BOEHM. Diff. VII. §.9. seq.* et *HODWELLIANIS*, quae profomniis magis, quam argumentis, habenda, magni nominis *Vir, IOAN. FRANCISC. BVDEVS in Exerc.* iam supra laudata *de origine et potestate Episcop.*

ad officium erant compellendi⁷. Certe compromisfariam, non forensem, omnem ante Constantiūm Episcoporum cognitionem fuisse, et res ipsa testatur, et ex ipsis Romani ritus agnoscunt SARPIVS et ESPENIVS⁸, ut mirer, clarissimum ICTUM, Ioh. STRAVCHIVM⁹, in eam descendere potuisse sententiam, Ecclesiam inde iam ab initio suum forum habuisse, neque hoc priuilegio Principum, sed iuri Ecclesiae proprio deputari debere.

§. XXVIII.

Vbi vero *Constantinus M. A. CCCXIII.* pacem Ecclesiae dedisset, quo erat animo Episcopis impensisime addicto, inter alias plures, quibus commodis Ecclesiae consultum vellet, hanc quoque a SOZOMENO¹ relatam tulit: *vt permisum esset litigantibus ad Episcoporum iudicium prouocare, SI MAGISTRATVS CIVILES REIICERE VELLENT: eorum autem sententia rata esset, aliorumque iudicium sententiis praeualeret, perinde AC SI AB IMPERATORE IPSO LATA FV-*

ISSET:

7) *Conf. I. 3. C. de Iudiciis.*

8) *SARPIVS I. all. ESPEN. I. E.P. III. Tit. 1. c. 1. n. 10. et 22.* quibus addendus ex Episcopalibus Anglis BINGH. L. II. c. 7. §. 1.

9) ad *L. Decis. Diff. I. c. 3. n. 12. seqq.* argumentum, quo vtitur, Apostolum, cum de vero Iudice, quem adire vetat, loquatur, de vero etiam Iudice loqui oportere, quem adire praecipit, ἀσυλόγιστον est. *Can. Apost. LXXIII.* vt sunt multa in iis canonibus, aut ad instituta seculi IV. aut ad compromissorium Iudicium, quo etiam pertinet *Can. XII. Synodi Carthaginensis* ab eo allegatus, referri debet. *Canon* vero *Chalcedonensis oecumenicae* plane vrgeri nequit, cum ea aetate Iudicium forense Ecclesiasticum primem esset ordinatum.

10) *H. E. L. I. c. 9.*

56 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

ISSET: *vtque res ab Episcopis iudicatas Rectores Provinciarum eorumque officiales EXECUTIONI mandarent,* NICEPHORVS²: *permisit Constantinus Clericos immunes ac liberos.* LEGE LATA, *Episcopis dedit Iurisdictionem et SVPER CLERICOS et SVPER LAICOS, TANQVAM DELEGATIS SVIS, si quidem CIVILIVM IVDICVM COGNITIONEM DECLINARE voluissent.* Dubium, an etiam parte altera inuita? quod affirmat SARPIVS³: *quin imo, inquit, lite coram Iudice seculari pendente, quicunque esset causae status, si alterutra pars, ALTERA LICET OBLVCTANTE, Episcopum sibi iudicem deposceret, illico ad eius cognitionem ius utique deferebatur.* Eius certe est tenoris rescriptum Constantini ad Ablauium Praef. Praetorio apud SIRMONDV⁴ quod ad editum ante emissum prouocat, idque ad causas minorum profert, sed cui status quaestionem haud vanis argumentis mouit praestantissimus GOTHOFREDVS⁵. Quodcunque huius rei sit, (neque enim haec, cum prolationem iurisdictionis tantum concernant, hic discutere animus est,) id saltem obseruandum, ex eo tempore iurisdictionem illam verecundi nominis, quam *audientiam Episcopalem* vocarunt, inuestam esse, forensem quidem eam et ciuilem, at non *ordinariam*, sed

2) H. E. L. VII. c. 46.

3) l. all.

4) l. i. de *Episcopali iudicio* in Appendix Cod. Theodosiani T. I. Opusculorum. Ex illo c. 35. quicunque c. 11. qu. 1.5) ad l. i. Tit. Extrauagantis de *episcopali iudicio* T. VI. p. 303. sequ. SELDENVS in Vxore Hebr. L. III. c. 28. pro genuino agnouit, a quo tamen abit ipse BINGH. L. II. c. 7. §. 3. VALESIVS filet ad locum *Sozomeni*, forte, quod suspectum istud haberet.

sed delegatam, non propriam, sed compromissoriam, non perfectam, quod neque apparitionem, neque executionem propriam haberet, sed quae, iudice CVIACIO, magis ad notionem accederet⁶: maximi tamen momenti, quod vicaria Principis, et ab ea prouocatio non esset⁷. Atque intra hunc modum per sequentium etiam Imperatorum edicta res stetit, ex quibus ARCADII et MARCIANI leges Codici Iustinianeo insertae leguntur⁸.

§. XXIX.

Aliud etiam tribunal, volentibus Imperatoribus, erectum, causarum et personarum Ecclesiasticarum; sed pedetentim, et suis cancellis circumscripum. Id enim Patribus Nicaenis¹, quorum acta lege confirmavit Constantinus, ad ordinem Ecclesiae firmandum utile futurum visum, si, cum ad typum Imperii in provincias haec tenus diuisi et ipsa, sed priuata saltem et compromissoria opera, res suas fere instituisset, eadem in posterum etiam politia vteretur, et in singulis provinciis, qui in metropoli sedem haberet, reliquos eiusdem provinciae Episcopos honore et potestate antecelleret; ita enim morem inueteratum omnium optime custoditum iri. Eam certe veram causam puto, quod Patres nouam a Constantino introductam divisionem a ZOSIMO² narratam, quae probabili coniectura non multo post bellum Licinianum a. CCCXXIII.

H con-

6) Nov. VALENTINIANI III. tit. XII. in app. C. Theodos. CVIACIVS in paratitulo ad tit. C. de Episc. aud.

7) l. 8. C. de Episc. aud.

8) l. 7. 8. 13. cod.

1) Can. IV.

2) Hist. nouae L. II. p. 109. ed. Oxon. PAGIVS in Crit. in annal. Baronii divisionem Imperii ad a. 332. refert.

58 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

confectum, atque ideo ante synodum Nicaenam, biennio post celebratam, contigit, nondum omni ex parte sint secuti. Fuit sane summa tum Ecclesiae in prouincias distributio, et praecipua in singulis Metropolitae dignitas et potestas, finibus prouinciae cuiusuis coercita, nisi mores antiqui³ vni alteriue, ut Alexandrino, vel Romano, cuius dioecesis *Ecclesiis suburbicariis* inclusit R V F F I N V S⁴, Eusebianaes historiae interpres, plures vna prouincias assignassent. Neque vero potestatem illam vltra confirmationem et consecrationem electia comprouincialibus Episcopi, et ius synodorum bis in anno per prouinciam cogendarum, in quibus potissimum de sententiis excommunicatoriis ab Episcopis inflictis cognosceretur, productam fuisse, canones synodi⁵ satis ostendunt. Non adeo multis tamen annis interiectis *Antiochena*⁶, a. CCCXLI. sub *Constantio* habita, regulam inuexit, *nihil magni momenti Episcopos sine Metropolitano agere debere*. Ex eodem etiam concilio liquet, ordinationem et destitutionem Episcopi ad synodum prouinciae, quemadmodum Clericorum, vt et horum Laicorumque excommunicationem ad Episcopum spectasse⁷. Idem coeret Clericos relictis suis *parochiis* in alias absentes⁸: idem quoque meminit Presbyterorum in vicis et pagis, itemque Chorepiscoporum, vt iam tum parochias in vicis et pagis constitutas fuisse, satis inde eluceat⁹. Cum vero partitio Imperii a *Constan-*

tij-

3) *Can. VI.* 4) *H. E. L. X. c. 6.* 5) *Can. IV. et V.*

6) *Can. IX.* 7) *Can. V. VI. X. XV. XIX. et XXII.*

8) *Can. III. XVIII. et XXI.*

9) *Can. VIII. et X.*

tino M. in quatuor summas Praefecturas, siue tradus¹⁰, in Oriente quidem in praefecturas Orientis et Illyrici, in Occidente in praefecturas Italiae et Galliarum hac lege esset instituta, vt singulis praefecturis certae dioeceses, his rursus prouinciae certae subiicerentur¹¹; ita simile quid successu temporis in Ecclesiae schemate obtinuit, vt et in hoc collocarentur aliqui supra Metropolitas, quibus integra dioecesis, id est, complexus plurium prouinciarum, regenda committeretur, qui *Exarchi dioecesum*¹² a Graecis, *Primates* deinde itemque *Archi-Episcopi* a Latinis appellati¹³. Exarchorum dioecesum prima mentio fit in *Concilio Chalcedonensi*¹⁴, generali quarto, supra quos demum ascenderunt Patriarchae, illi nimirum, qui pluribus dioecesisbus praeesserent, quales fuisse, ambigi non potest¹⁵. Sane sub Constantinopolitano ex decreto¹⁶ concilii Chalcedonensis fuerunt dioeceses, Thracica, Asiana et Pontica. Patres synodi *Arelatensis I.* ad *Syluestrum*

H 2

Pon-

10) Vid. Gvther. *de off. Domus Aug.* L. II. c. 6.

11) Ad istam partitionem, praeter ZOSIMVM, qui prouincias recensere omisit, facit *notitia vtriusque Imperii* sub Theodosio Iuniori scripta, quam commentariis illustrarunt ALCIATVS et PANCIROLVS. Conf. PANVINIVM *de Imperio Romano* p. 884. Ed. Ven. 1558. 8.

12) Metropolitae etiam aliquando *exarchi* dicti, sed τῆς ἐπαρχίας, prouinciae: similiter et *Primates*. Docte ZIEGLERVS *de Episc.* L. I. c. V. §. 11. sequ. De *Archi-Episcopi* titulo locus est WALAFRIDI STRABONIS *derebus Eccles.* c. 31. *Archi-Episcopos*, qui *ipfis Metropolitanis* praeminent, etc. apud SCHILT. I. I. C. L. I. tit. 3. §. 10. in not. a.

13) MARCAE *diff. de Primatu Lugdunensi* §. 10. sequ.

14) *Can. IX. XVII.*

15) Vid. ALLATIVM *de Ecclesiac Occidentalis et Orientalis perpetua confensione* L. I. c. 9. §. 1. sequ. 16) *Can. XXVIII.*

60 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

Pontificem: *placuit per te, qui maiores dioecesēs tenes, potissimum omnibus insinuari*¹⁷⁾: etsi lubenter largiar, nō men illud frequenter Exarchis dioecesium tributum, nec omnes ea praerogatiua insignitos plures vna dioecesēs, aliquos etiam ne integrā quidem rexisse. Interim saltem illis in dioecesibus, quarum Exarchi vel Primates sub Patriarchis essent, hi gradus inualuerunt politiae Ecclesiasticae, vt parochiae Episcopis, Episcopi Metropolitis, Metropolitae Exarchis Dioecesium, hi vero Patriarchis parerent. Sed de eo adhuc quaerendum, quae fuerit hic subordinatio personarum et causarum.

§. XXX.

Duo hic praemonenda: *primo* quidem, ea quoque, quae canonibus hac de re sancita, beneficio Principum deberi, quod, vt sententiae conciliorum valerent, et executioni mandari possent, ab Imperatoria confirmatione fuerit impetrandum¹⁸⁾: *deinde*, ita se gessisse primos illos Principes Christianos, vt quamuis augendae rei Ecclesiasticae essent studiosissimi, negotia tamen Ecclesiastica vbique fere a secularibus separarent, atque secundum prioris generis causarum mensuram iurisdictionem etiam in personas temperarent: quod ne gratis dictum videatur, ex ipsis rerum documentis illustrabo. Atque illud ex antecedentibus iam constat, Synodus Nicaenam reliquisse quidem Episcopis potestatem deiiciendi Clericos a gradu, eosdemque et Laicos excommunicandi, salua tamen prouocatione ad

17) Apud PAGIVM de vit. Pontif. T.I.p. 75.

18) supra §. XXV. et in notis n. 3.

ad synodum prouinciae. Iudicium de religione ad cognitionem Episcoporum transfert *constitutio Gratianus*², atque illi etiam praeter causas religionis, seu fidei, *negotia ex quibusdam dissensionibus leuibusque delictis ad religionis obseruantiam pertinentia addicit*, regulam tamen simul firmando, ut *qui mos sit causarum ciuilium, idem in negotiis Ecclesiasticis obtineat*; a delictis etiam leuibus ad religionis obseruantiam pertinentibus diserte ea separando, *quae actio criminalis ab ordinariis extraordinariisque Iudicibus aut inlustribus potestatis audienda constituat*. Perspicuum igitur est, aetate illa, id est, a. CCCLXXVI. Clericos omnes, etiam superioris gradus, in causis pecuniariis coram ciuili magistratu forum sortitos, in delictis vero diuersitatis communium et proprietatum rationem habitam fuisse, ut in illis quidem actio criminalis promiscue ab ordinariis extraordinariisque Iudicibus et inlustribus potestatis audienda esset, his vero tantum leuia delicta ad religionis causam pertinentia accenserentur³. Generalior videtur definitio synodi *Constantinopolitanae I.*⁴ a. CCC LXXXI. quae accusationem Episcoporum ad synodum prouincialem, vel si in hac crima intentata corrigi non possint, ad dioecesanam reiicit, sed et ipsa de ecclesiasticis solum criminibus tractat, atque, ut loquuntur, primam tantum instantiam instruit, prius quam nimirum accusator *Imperatoris aures molestia officiat, vel secularium Principum iudicia perturbet*: ex quo manifestum fit, et reliquarum causarum cognitionem penes Iudicem secularem mansisse, et a senten-

H 3

tia

2) l. 23. C. Th. de Episc. Ecclesis et Clericis.

3) Vid. GOTHOFR. ad d. l.

4) Can. VI.

62 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

tia synodi, etiam dioecesanae, ad seculare iudicium liberum recursum patuisse. Patet id non obscure ex illo ipso, quod hic obiici solet, VALENTINIANI Senioris ad Claudium P. V. *rescripto* a. CCCXCVI. dato⁵; utpote quod ex auditorato Antistiti, *Chronopio*, non id eo dictitat multam argentariam, quod a septuaginta Episcoporum sententia ad P. V. sed quod ab illius confirmatione a P. V. facta ad Imperatorem prouocasset, forte, quod a P. V. prouocatio non esset: vnde id emanat, a iudicio Episcoporum ad P. V. appellationem recte interponi potuisse. *Constitutio HONORII*⁶ a. CCCXCIX. eandem normam sequitur: *quotiens, inquit, de RELIGIONE agitur, Episcopos conuenit iudicare: CAETERAS vero CAVSAS, quae ad ordinarios cognitores, vel ad usum PUBLICI IURIS pertinent, LEGIBVS OPORTET AUDIRI: ad quam est authentica interpretatio VALENTINIANI III.*⁷ constat, *Episcopos et Presbyteros FORVM LEGIBVS NON HABERE, nec de ALIIS CAVSIS, secundum ARCADII et HONORII diuina constituta, quae Theodosianum corpus ostendit, PRAETER RELIGIONEM, posse cognoscere.* Porro, eiusdem HONORII constitutionem a. CCCCXII. editam⁸, quae Clericos apud Episcopos accusare praecipit, de Ecclesiasticis delictis capiendam esse, non improbabilis conjectura, ex remotionis poena ibidem commemorata, deduxit GOTHOFREDVS⁹. Nec ultra processisse

5) in l. 19. C. Tb. *quorum appellations non recip.* vbi GOTHOFR.
Idem ad l. 21. eod. *de appellat.*

6) l. 1. C. Tb. *de religione.*

7) tit. XII.

8) l. 41. C. Tb. *de Episc. Eccl. et Cler.*

9) ad d. l. Conf. ZIEGL. *de Episcopis L. III.c. 30. §. 57.*

cessisse *constitutionem VALENTINIANI III. a. CCCCXXV.*^{io} publicatam, et inuestiua in *infaustum praesumtorem*, *Ioannem*, qui post obitum *Honorii* ty-
rannidem inuaserat, quod *Clericos INDISCRETIM ad saeculares Iudices debere DEDUCI*, edixisset, et allegatio
edictorum ab Antecessoribus emissorum manifestum
reddunt. Eiusdem Imperatoris est *nouella constitutio* ante memorata, quae omnem prorsus scrupulum
eximit. *Si ambo inquit, eiusdem officii litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus et iure communi.* Sin
vero petitor *Laicus, seu in ciuili seu criminali causa, cuiuslibet loci Clericum aduersarium suum, si id magis eligat, PER AVCTORITATEM LEGITIMAM IN PUBLICO IUDICIO respondere compellat.* Quam formam etiam circa *Episcoporum personam obseruari oportere censemus, ut si in huiuscemodi ordinis homines actionem persuasionis et atrocium iniuriarum dirigi necesse fuerit, per procuratorem solemniter ordinatum apud IUDICEM PUBLICVM INTER LEGES ET IVRA configant, iudicati exitu ad mandatores sine dubio reuersuro.* *Quod iis religionis et sacerdotii veneratione permittimus.* Nam notum est, *procurationem in criminalibus negotiis non posse concedi.* Sed vt sit vlla discretio meritorum, *Episcopis et Presbyteris tantum id oportet impendi.* In *reliquis negotiis criminalibus iuxta legum ordinem per se subire coguntur.* Si ab executore conuenti parere detrectent, seruato iuris ordine sententia teneat contumaces. Africanis tamen Patribus rogantibus a. CCCC XVI clementia Imperatoria indultum fuit, a Principe *iudicium Episcopale in cognitione publicorum iudiciorum postulare*ⁱⁱ; sed
quod

^{io}) l. 47. C. Theod. eod. ibi GOTHOFR.

ⁱⁱ) In Mileuitano II. c. 19. apud GRATIANVM c. placuit n. q. 1.

64 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

quod delegatum et priuilegii instar extitit. In oecumenica IV. Chalcedonensi a. CCCCLI. illud demum cautum¹²: si quis Clericus habet cum Clerico litem aut negotium, proprium Episcopum ne relinquat, et ad secularia iudicia ne excurrat, sed causam PRIVS apud proprium Episcopum agat, vel de Episcopi sententia, quos utraque pars elegerit, iudicium agitetur. Si quis autem praeter haec fecerit, canonicas poenis subiiciatur. Si Clericus autem cum proprio vel etiam alio Episcopo negotium aut litem habeat, a PROVINCIÆ SYNODO iudicetur. Si autem cum ipsius prouinciae Metropolitanus Episcopus vel Clericus controuersiam habeat, DIOECESIS EXARCHVM adeat, vel imperialis urbis CONSTANTINOPOLIS THRONVM, et apud eum litiget. At praeterquam quod haec suo beneficio imputet MARCIANVS¹³ Imp. illud etiam πρότερον, PRIVS, vt recte monuit ZIEGLERVS¹⁴, negligi non debet, vt quod clare innuit, aditum ad secularia iudicia non intercludi, sed saltem post episcopalem cognitionem differri. Enimvero, vt eiusdem MARCIANI et LEONIS constitutio-nes¹⁵ praeteream, IUSTINIANVS etiam initio tan-tum ecclesiasticas, itemque Monachorum et Ascetria-rum¹⁶, post etiam pecuniarias causas Clericorum, sal-ua tamen prouocatione ad iudicem secularem, ex de-lictis vero solum propria, id est, ecclesiastica, epi-scopali iudicio permisit¹⁷.

§. XXXI.

12) *Can. IX.*

13) *l. 4. C. de summa Trin.*

14) *L. III. c. 30. §. 61.*

15) *l. 25. C. de Episc. et Cler. l. 33. pr. eod.*

16) *l. 29. C. de Episc. aud. eod.* 17) *Nou. LXXXIII. et CXXIII. c. 22.*

§. XXXI.

Atque haec quidem pro instituti ratione poterant suffecisse. Manifestum enim reddunt, a quibus, quem in modum, et quibus data sit Iurisdictio Ecclesiastica, eamque non diuinae originis, sed vniuersam ab Imperio ciuili profectam esse et pendere. Illud tamen adhuc commemorandum, in occidente sequentibus seculis per gradus eo tandem deuentum, ut non solum Clericorum causae promiscue omnes, pecuniariae et criminales, ad tribunal Ecclesiae traherentur, sed et Laicorum negotia pleraque, variis coloribus quaeſitis, eo raperentur. Malo haec SARPII¹⁾, quam meis verbis narrare. Ita vero ille: *nondum anni bis centum praeterierant, cum (Episcopi) omne iudicium, criminale et ciuile, in clerum sibi arrogabant, et in Laicos plerisque in rebus, causam esse Ecclesiasticam obtendentes. Deinde FORVM MISTVM comminiscuntur, quo contra Laicum agere possit tam Episcopus, quam Magistratus, uterque actionem prior intentarit: cuius fori intuitu, ad rem suam attentissimi, nullum seculari locum relinquentes, in omnes tanquam sui iuris inuolant.* Si quis autem hanc tendiculam effugiat, neque ea capiatur, restat unicus adhuc ad eos comprehendendos laqueus, nempe regula generalis profidei fundamento tradita: *omnem causam ad forum Ecclesiasticum devolui, si Magistratus vel Ivs DICERE NOLIT vel IN IVRE DICVndo SEGNIOR SIT: et paucis interie-ctis: ab A. ML. cum iam omnes Clericorum causae factae essent peculiares foro Episcopali, et tot Laicorum causae SPIRITALITATIS obtentu, aliaeque prope omnes MISTI FORI aspectu aliqua huic foro debeantur, ac denique*

I

juris

1) H. C. T. L. IV. p. 299. sequ.

66 DE FUNDAMENTIS CAVSARVM

juris IUSTITIAEQVE NEGATAE colore magistratus seculares sibi subiecerint, eo tandem ventum est, ut affirmant, Episcopum habere eam iudicandi potestatem, quae tam late patet ac diffunditur, neque concessione, neque conniuentia Principum, neque voluntate populi, neque inueterata consuetudine, sed Episcopi dignitati penitus insitam esse et essentialem, atque ab ipso Christo donatam. Pergit post aliqua: *neque his tantum se finibus continent, sed addunt, neque magistratum, neque Principem ipsum, posse immiscere se cuiquam earum causarum, quae cleri sunt propriae, cum spirituales sint, quarum laici omnino sint incapaces.* Illa quoque eximia sunt: *nec aliter super spiritualem ligandi et soluendi potestatem a Christo Ecclesiae concessam, et super praeceptum D. Pauli de dissidiis inter Christianos componendis, re ad infideles iudices minime delata, temporis decursu per multos gradus fabricatum tribunal temporale, omnium quae sunt, aut fuerunt, maxime gloriosum: et in medio ciuilis cuiusque regiminis institutum aliud, a publico illo minime pendens; ut qui de administrandis formis praecepta tradiderunt, huiusmodi reipubl. ideam vivere et vigere posse, vix unquam animo conceperint.* Finit tandem: *neque vero mihi consilium est commemorare, quomodo non contenti ex tot tantisque sudoribus finem sibi propositum assequi, et forum, quod a ciuali regimine minime pendeat, sibi extruxisse, alium finem consecuti sint inexpectatum, et Imperium fabricarint, noua et insolenti opinione exorta, quae punto temporis mirabiles fecit progressus, soli Romano Pontifici id tribuentes, quod tot Episcopi tam variis tamque admirandis artibus mille ac trecentis annis sibi compararunt, iurisdictionis suae fundamentum constituentes, non, ut antea, in ligandi et soluendi potestate,* sed

*sed pascendi prouinciam substituentes, et eius virtute effici-
entes, vt iurisdictio omnis a Christo in persona Petri soli
Pontifici delata sit, verbis iis, PASCE OVES MEAS. Ha-
bes hic quatuor locos topicos indicatos, vnde laico-
rum negotia ad iudicium Episcopale transferri pos-
sint; si mixti fori sint, si spiritualitatis naturam habeant,
si Iudex secularis iustitiae administrationem deneget, si
segnior sit in causis tractandis: cum quibus gemina
sunt, quae in grauaminibus Nationis Germanicae² a.
clo I^o XXII. in comitiis Norimbergensibus oblatis
continentur. Etsi vero ista tanti sint ambitus, vt fo-
rum ciuale facile potuerint desolari, non tamen omnes
artes, quibus ad dilatandas fimbrias suas usi, exhausit
SARPIVS; quin spicilegii vice addendae quatuor aliae,
consuetudo³, quaestio peccati, quae ad omnia laicorum
delicta extensa, *iurisiurandi religio*, si vel sola clausula
iuratoria instrumento inserta⁴, aut si instrumentum,*

I 2

quod

2) GRAV. LXIV. LXX. LXXI. LXXII.

3) GRAV. LXXI. ad eandem prouocat Pontifex in c. 4. de immu-
nit. in 6to. Reformatio Iudicij Ecclesiastici Bambergensis a.
1463. art. 8. nisi causae profanae ex circumstantiis seu qualitate
personarum ac causarum de ANTIQVA CONSVENTUDINE lau-
dabiliter praescripta, ad examen Iudicis Ecclesiastici pertine-
rent, veluti pauperum et miserabilium personarum. Addam et
reliqua, quod ad illustrationem caeterarum etiam causarum fa-
ciant. Si proponatur causa eadem inter ipsos litigantes IVRA-
MENTVM interuenisse, vel FIDEM MANVALEM loco praesti-
ti iuramenti datum, - - seu si Iudices seculares et tempora-
les debite requisiti administrare RECVS ASSENT seu dene-
gassent. etc. apud Ill. de LVDEWIG Script. Bamberg. T. I.
p. 1171.

4) ESPEN. P. III. T. I. c. 1. n. 36. sequ.

68 DE FUNDAMENTIS CAUSARUM

quod MORNACIVS⁵ notauit, a tabellione Apostolica auctoritate creato esset confectum : quibus admissis causae pleraeque, si non omnes, contractuum, transactionum et vltimarum voluntatum, alimenta praecipua forensium disceptationum, Iudicio Episcopali accesserunt. Nec in his substitit amplianda iurisdictio-
nis lubido, iniuria etiam a Laico Clerico illatae ad eam delatae⁶; nec minus actiones in rem contra Ecclesiasticas personas in eodem foro institui oportuit⁷; atque longum foret usurpationes omnes perstringere. Hinc vero, seculis cumprimis XIII. et XIV. inter Ecclesiasticos et ciuiles magistratus lites innumerae⁸, per concordias siue concordata, ut vocabant, passim sopiae, quae iustum omnino disquisitionem mererentur.

§. XXXII.

Sed ad metam tandem properemus, cuius causa omnis haec instituta est tractatio. Redeunt autem, quae haetenus asserta sunt, ad haec summa capita:
1) *Ciuitatis eam constitutionem esse, vt uni imperio summae potestatis omnium, qui in ea sunt, personae et res subiiciantur.* 2) *Imperio in personas inesse absolutum ius actiones exten-*

5) *ad l. 8. C. de episc. aud.*

6) GRAV. LXIII.

7) *Statuta synodalia a. 1260. apud LVNIGIVM in spicilegio Eccl. P. I. p. 366. et in des ersten Theils Fortsetzung p. 1001.*

8) De confoederatione inter Barones Franciae pro seculari iurisdictione ab usurpationibus Cleri vindicanda a. 1246. inita, ex MATTHAEO PARISIENSI, ESPENIVS l. all. c. 2.

ternas omnium, quatenus in eorum potestate sunt, ad finem ciuitatis moderandi regendique. 3) Ecclesiam externam nullum regimen uniuersale externum a Christo aut ab Apostolis accepisse; sed 4) in quavis ciuitate societatem quandam ex Docentibus et Auditoribus compositam repraesentare; quae 5) nec natura sua, nec diuina lege, ab arbitrio Ciuii exempla, 6) idonea tamen sit illud in rebus legi diuinae non contrariis recipere. 7) Eam inde ab eo tempore, quo summa potestas curam eius habere coeperit, Imperium illius in se agnouisse. 8) Eam nec natura sua, nec ex institutione diuina, vim externam coactiua, siue iurisdictionem propriam, habere: 9) hanc tamen ex concessione summarum potestatum indeptam aliquando esse et tractasse. Istaec iunctim sumta binas alias conclusiones pariunt; primam, neminem, praeter summam potestatem in ciuitate, imperium et iurisdictionem in Ecclesiasticam societatem, quae in ea est, occupare posse: secundam, Ecclesiam vicissim a nemine praeter illam, iurisdictionis compotem fieri posse. Illud praeterea dubio vacat, finem ciuitatis, qui summae potestati imperium in Ecclesiasticam societatem conciliat, eandem quoque ad illud capessendum impellere: quemadmodum et Ecclesiae non potest non conducere, si potestas summa curam suam in eam intendat, quod ita securitati et auctoritati eius optime consulatur.

§. XXXIII.

Quemadmodum vero cura summae potestatis, qua Ecclesiam respicit, in illius aut *constitutione* aut *directive* cernitur, ita ad mensuram duplicis huius operationis causarum ecclesiasticarum determinationem exigi debere, haud cunctanter affirmauerim: adeo, ut quot

I 3

possint

70 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

possint esse operationes summae potestatis circa Ecclesi-
am ad alterutrum finem spectantes, tot causarum il-
larum genera queant existere. Sunt autem, opinor,
asserti non obscurae rationes. *Primo* enim id puto
perspicuum esse, Ecclesiam, respectu ad Imperium
habito, dupliciter, intuitu vel originis, vel dura-
tionis, considerari, quarum illa constitutioni, quo-
modocunque tandem contingat, haec directioni lo-
cum facit. Sequela igitur quaedam huius rei est,
vt operatio quoque summae potestatis circa negotia
Ecclesiae intra hos limites se contineat, ac vt ea demum
ecclesiastica causa vere dici possit, quae ad alterutrum
genus operationum possit referri. *Secundo*, causarum ec-
clesiasticarum genera ideo non aliunde rectius, quam a
relatione Ecclesiae ad operationem summae potestatis
deriuari debere, quod omnem tandem, quae ecclesi-
asticae nomine venit, causam ita comparatam esse opor-
teat, vt vel inde ab initio a summa potestate occupari,
vel, si ea arbitrio collegii tractanda relinquatur, saltem,
contradictione mota, ab illa definiri possit. Illud enim
strictè non requiritur, vt operatio summae potestatis
semper se exferat, modo agere, si velit, non sit impedita.
Primis seculis ecclesiasticas causas fuisse, quis neget?
quas tamen a Principibus summis prorsus intactas
mansisse, nemo ignorat. In iis etiam societatibus, quae
receptam in ciuitate formulam non sequuntur, plura
videas negotia agi absque summae potestatis interuen-
tu, licet dubium non sit, in eiusmodi quoque collegi-
um eidem inspectionem et directionem competere, ad
eandem etiam decisionem controversiarum circa cau-
fas ecclesiasticas in eo emergentium vnicē spectare.

Prae-

Praeterea modus operandi pro varietate negotiorum et ipse variare potest. Quaedam enim imperans solus agit, cuiusmodi fere sunt, quae eminentioris sunt potestatis: alia rursus collegio permittit, summo tantum arbitrio sibi seruato; alia etiam cum Collegio simul perficit: qua in re non uniformes sunt mores; quod libertas naturalis collegiorum mutationi obnoxia sit, atque pro diuersitate locorum et temporum plus minusue possit esse restricta. Documentum rei praebet ipsa Pastorum electio, de qua licet verum sit, eam in dubio ad societatem pertinere, negari tamen nequit, eam iam ante plura secula vel a Principibus ipsis fuisse exercitam, vel ad pauciores translatam¹, plebi tantum adferendi causas, cur ipsis displiceat electio, copia relieta. Neque vero est, quod illam operandi potestatem ad consensum expressum tacitumue collegii ipsius cum Viro celeberrimo² referamus, quae rectius ab Imperio summae potestatis in aeternis imperabiles collegii petitur: quanquam id lubenter largiar, huius in electione Pastorum libertatem, si nulla particularis consideratio interueniat, facile non esse restringendam³. Plane illi audiendi non sunt, qui ius summorum Imperantium in hac aliisque causarum ecclesiasticarum partibus ex iure Episcopali, aut etiam Papali⁴, deducunt, quorum argumentis in dissertatione III. obuiam procedetur. Ceterum ex dictis plenior iam euadit *causarum ecclesiasticarum definitio*; esse nimurum *negotia ad coetus cuiusvis sacrorum communium ergo coaliti constitutionem et directionem spectantia, ab Imperio summo immediate vel mediate dependentia*.

§. XXXIV.

- 1) G R O T I V S c. X. §. 13. 2) Dn. P F A F F. O. I. E. c. IV. art. 2.
3) Conf. P V F E N D. de H. R. C. §. 45.

§. XXXIV.

Medio igitur dignoscendi causas ecclesiasticas stabili-
to, videamus, quae in earum numero locum possint obti-
nere. Exordiemur autem a *constitutione*, in qua 1) pri-
mae Imperii operationes sunt *approbatio et reprobatio*
fodalitiorum Ecclesiasticorum. Illa in latiore sensu et
iam patientiam solam, siue tolerantiam, quam leges
christianae moderationis et prudentiae politicae gu-
bernant, complectitur: cum toleratum collegium sal-
tem, quamdiu fertur, ad eum effectum, ut illicitum
non sit, et tutela publica fruatur, approbatum existi-
mari possit. Porro, *approbatio* est vel absoluta vel limi-
tata; vtraque plerumque legibus¹, foederibus, pactis,
transactionibus, regitur. *Reprobatio* libera est, qua legi-
bus, pactis, foederibus, transactionibus non impeditur.
Ex vtraque de *migratione legum, pactorum, foederum,*
transactionum, de religione, de apostasia, de haeresi, de schis-
mate, de tolerantia, de clanculariis coitionibus, oriundae co-
gnitiones ecclesiasticis causis recte annumerantur.
2) Ab approbatione proxima fere est *definitio dioecesi-*
um et parochiarum, institutio et ordo functionum et dignita-
tum ecclesiasticarum, constitutio aedium sacrarum, coemite-
riorum, monasteriorum, descriptio matricularum, quae ad
ius sacrorum pertinere certum est; vt proinde et in-
spectio in res sacras et religiosas, in fabricam aedificiorum
ecclesiasticorum in subsellia, itemque materiae unionum,
diuisionum Ecclesiarum et beneficiorum, finium regundorum
inter

4) STRYKIVS Pater in *Diss. de iure Papali Principum Euau-*
gelicorum c. I.

1) Vid. *infra* §. XLIV.

inter dioeceses et paroecias, iuris et obligationis dioecesanorum et parochianorum, προεδρίας, subordinationis, dotis, reddituum, aerarii, acquisitionis, administrationis, alienationis bonorum Ecclesiae, quaeque ab his omnibus pendent et oriuntur cognitiones, ad ecclesiasticas causas merito referantur. 3) *Cumque praecipua cura summae potestatis in ordinatione cultus externi versetur, in hoc vero non illud solum spectetur, vt puritas doctrinae coelestis illibata seruetur, et per praedicacionem verbi animis auditorum sedulo instilletur, et sacramenta rite dispensentur, sed et id agatur, vt ritibus et ceremoniis sua forma constet, et vt vniuersim cuncta ordine et decenter fiant, nemo fortassis ambiget, disquisitionem de emendatione doctrinae et morum docentium et audientium, de recto usu et administratione sacramentorum, de delictis et censuris Ecclesiasticis, de poenis clericorum intuitu muneris peccantium, de ceremoniis, de temperandis vel negandis sepeliendi ritibus liturgicis, in hac classe esse reponendam.* 4) *In eundem censum venient electio ministrorum Ecclesiae cum aetibus suis antecedaneis et succedaneis, ius Patronatus, surrogationes, permutationes, abdicationes, translationes, expectatiuae, prouisiones, salario, decimae, sportulae, quaeque de iis cunctis, et de tempore deseruito et gratiae, lites excitari possunt. Nec vero refert, possessorio appetitorio contendatur, et si ista inter Ecclesiasticum et secularem iudicem aliquando diuidi animaduertas, cum utrobique eadem ratio constituenda cognitionis militet, idem finis; ideoque merito eadem censeatur*

K

com-

i) ESPEN. P. III. T. 2. c. 4. toto. Conf. CHARONDAM dans le grand contumier de France L. II. c. 21. p. 161.

74 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

competentia. Nec 5) disciplina Ecclesiastica silleri debet, a qua hodieque nonnullis in locis sunt *deprecationes publicae*. Illa, quoties legibus publicis introducta reperitur, *obseruationem et castigationem admissorum*, nisi lex vel consuetudo alio tendat, haud dubie foro ecclesiastico transscribit.

§. XXXV.

Quamuis autem ipsi constitutioni iam insint quae-dam, quae si recte attendantur, simul ad *directionem* et *conseruationem*, quam illa intendit, faciunt, sunt ta-men et seorsum aliqua, quae ad istam maximum momentum afferunt, atque cum ecclesiasticis causis arctissime cohaerent. Huc retulerim 6) *scholarum publicarum, superiorum et inferiorum, institutionem*, et sedulam obseruationem docentium et dissentientium. Eadem fere hic occurrunt, quae de Ecclesia attuli, ut ista repetere velle, inutilis industriae haberi possit. 7) *Censuram librorum ad doctrinam fidei et ad disciplinam spectantium*. 8) *Visitationes speciales, et vniuersales*, et denique 9) *Synodorum coactionem*, sicubi eas negotiorum praestantia postulare videatur.

§. XXXVI.

Sed a principio isto cognoscendi abit vir summus, Ioh. SCHILTERVS¹, qui duas regulas ponit, vnam: *omnes causae, quae ex IVRE DIVINO ET ECCLESIASTICO sunt decidenda, ad forum ecclesiasticum pertinent: alteram; quaecunque circa personas et res ecclesiasticas, qua tales, aut quatenus saltem a iurisdictione ciuili exemptae sunt, oriuntur controuersiae, ad forum ecclesiasticum spectant*. Ad priorem quod attinet, varia sunt monen-

da,

1) L. I. tit. 5. §. 6.

da. Primo enim incertum valde est, quid per ecclesiasticum ius intelligat, an canones Conciliorum, an decretales Pontificum, an leges ecclesiasticas a summis potestatibus latus? si canones, nondum erit expedatum, qui illi sint, an promiscue omnium, an quorundam solum, conciliorum? si decretales, iam plures admittentur causae censum istum minime sustinentes, imo absoluta quadam necessitate seorsum a secularibus tractandae erunt; quod nemo facile asseruerit, qui consilii et necessitatis rationes confusas nolit. Sane ut, quod in complexu iurium maiestaticorum continetur, ius sacerorum, in complexu illorum etiam administrari possit, nulla iuris ratio resistit. Similiter dicendum esset, quaestionem de gradibus in consanguinitate et affinitate interdictis, et de causis diuortiorum, nec olim potuisse, nec hodie posse, magistratum ciuilium cognitioni subiici, quod quam et naturae rei², et superiorum seculorum experientiae³, aduersetur, facile ostendi potest. Quem nexus etiam inesse arbitremur

K 2

isti

2) PVFEND. de H. R. C. §. 44.

3) LUDOVICVS BAVARVS diuortii sententiam tulit inter Iohannem, Regis Bohemiae filium, et Margaretham, Ducem Karinthiae. Extat illa apud GOLDASTVM Const. Imp. T. I. p. 337. Eam sic insit Imperator: *ad ampliorem evidentiam tam dictorum, quam et dicendorum, ad redargendum quoque voces et obstruendas fauces malignorum detractorum quorundam, nunc forte dicentium et dicere volentium in futurum, nos in praesenti negotio, sive iudicio, processisse de facto tantummodo et non de iure; cum iudicium de matrimonii diuortio faciendo spirituale sit, et propterea ad auctoritatem nostram minime pertineat; quemadmodum dicunt Episcopi quidam sive presbiteri cum suis sequacibus, MINVS VERE; IDQVE A PAVCIS RETRO TEMPORIEVS PRAEDICAVERVNT, et per quasdam verborum*

76 DE FUNDAMENTIS CAVSARVM

isti propositioni? nisi seculares omnes iuris diuini rudes et indociles existimemus. In altera vero regula incertum est, quo ambitu restrictio ad *personas ecclesiasticas, quatales, facta accipiatur*; an saltem in oppositione ad relationem, qua possessores sunt rerum soli vel iuriuum, quae cum his paria censentur, an ad alteram, qua persona extra sacram functionem consideratur. Tandem *exemptio*, quam regulae partem facit, mere iuris est constituti, quod in investigatione medii dignoscendi generalis attendi nequit.

§. XXXVII.

An *spiritualitatis* consideratio causam ecclesiasticam faciat, quod nonnullisⁱ⁾ placet, quaeri posset. Enim uero cum illa soli substantiae fidei et sacramentorum conueniat, summa potestas vero in hanc non operetur, sed tantum conseruationis eius curam gerat, consequens est ipsam ut inter fundamenta causarum ecclesiasticarum numeremus, nulla necessitas cogit. Peccatum respectus eatenus cognitioni ecclesiasticae locum facere poterit, quatenus id in violatione diuinae veritatis et recti usus sacramentorum consistit, vel disciplinam laedit. Promiscue enim omnia delicta, etiam communia, foro ecclesiastico afferere velle, nimis temerarium esset et iniquum, etiamsi inficias non eam, lege effici posse, ut delicta etiam communia ecclesiasticis cen-

verborum fallacias hoc credere fecerunt plurimos simplices Christi fideles. MARSHII Patauini est conclusio XIX. P. III. c. 2. *defensoris Pacis: matrimonia humana lege prohibita solius ad legislatoris, vel ipsius PRINCIPANTIS, auctoritatem pertinere.*

i) WEBER *de iure et ratione Confistoriorum* c. XXVII.

censuris, salua tamen magistratum ciuilium iurisdictione, ad maiorem disciplinae firmitatem conciliamdam, subiiciantur.

§. XXXVIII.

Ex dictis vero facile colligitur, causas *miserabilem personarum¹ testamentorum et legatorum*, etiam *piis causis² relictorum*, ad ecclesiastica negotia referri non posse. Illarum subductione praeterea ciuilis iudex iniqua suspicione oneraretur, qua nemo absque sufficientibus indiciis est grauandus. In Testamentis et legatis id quoque considerandum, plurimum interesse inter actionem et rem administrationi subiectam; et in priori casu Ecclesiam non meliori iure, ac quemvis alium, gaudere posse, qui forum personae debitoris aut rei sequi tenetur. In praestationibus parochianorum et dotalium idem asserendum foret, nisi id in prima ordinatione Parochiae probabiliter actum videretur, ut quae ad huius constitutionem et conseruationem necessaria sunt, sub uno iudice continerentur³. In *iuramentis* vero ab omni iure alienum est, quod

K 3

actus

- 1) Concilium MATISCONENSE a. 588. c. XII. *quid autem SCRIPTURA DIVINA de VIDVIS ET PVPILLIS praecipiat, nobis clam non est; IDEOQUE (agnoscis fructum regulae Schilteriana primae, modo reiectae,) quia prouisioni nostrae, Deo auctore, CAVSAE PRINCIPALITER VIDVARVM ET PVPILLORVM SVNT COMMISSAE, decernimus etc.* Iniquitatem usurpationis agnouit ipse INNOCENTIVS I. c. II. X. *de foro comp.* Conf. SCHILT. de L. E. G. L. I. c. 5. §. 2.
- 2) Vid. c. 16. et 18. X. *de testam.* occasio arrepta ex l. 28. C. *de Episc. et Cler. et Nou.* CXXXI. c. II. Causa testamentorum apud Gallos hodie est secularis. ESPEN. P. II. t. 2. c. 2. §. 15.
- 3) Conf. ZIEGL. *de dote Ecclesiae* c. XII. §. 34. et 35.

73 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

a&ctus principalis ex mera accessione forum debeat mutare. Sed de his, quae iurisdictioni ecclesiasticae perperam tribuuntur, agendi latior campus in differentiatione II. patebit.

§. XXXIX.

Interim dantur nonnulla negotia, quae licet ex sua natura ecclesiasticis non queant accenseri, mouere tamen ex circumstantiis concomitantibus summam potestatem possunt, vt ea Iudicio Ecclesiastico addicat: in quibus principem locum tenere crediderim vniuersim *actiones in personas et familiam ministrorum Ecclesiarum ac Scholarum*, et cognitionem *matrimoniorum et diuortiorum*. Ut enim fauori illorum non daretur, quamuis et is merito attendatur, vt eiusmodi priuilegio muniantur, magna tamen vtilitas subest, si, quorum mores et vitam omnem perspectos habere ecclesiasticae rei interest, in eo iudicio, cui inspectio incumbit, conueniantur. De famulitio, cum ratio ista cefset, aliter sentiendum existimo. Ut vero et causae *matrimoniorum et diuortiorum* eidem foro mancipentur, id suadere arbitror, quod ingens illarum copia quotidie succrescat, eaeque cum primis iudices prudentes et iuris diuini humanique callentissimos desiderent, vt proinde, quae aliis negotiorum forensium generibus peculiare forum dedit, ratio, in illis minime deficiat. Neque causetur quispiam, cedere haec in detrimentum patrimonialis, quam vocant, iurisdictionis, cum nihil hic auellatur, quod ante cum hac cohaeserit. Sat is enim constat, ante repurgata sacra vtramque cognitionem ab Episcopis aut eorum officialibus occupatam fuisse, post ea vero ad summam potestatem, velut

velut originem iurisdictionis, postliminio rediisse; vt ideo arbitrio illius relinquendum sit, cui eam velit deferre.

§. XL.

At inutilem haud iniuria quis arbitretur omnem hanc de constitutione ecclesiasticarum causarum inquisitionem. Cum enim, restitutis sacris, aemulatio, quae ante regnabat inter ecclesiasticam et secularrem iurisdictionem, sit sublata, et illa non minus quam haec a summa in Ciuitate potestate pendeat, parum quidem refert, limites earum nosse; quod satis ad rem sit, Imperanti placuisse, hoc vel illud causarum genus Ecclesiastico iudicio mancipasse. Evidem ingenue fateor, liberæ prorsus in Imperante voluntatis esse, ecclesiasticas iunctim cum aliis, an seorsum a reliquis tractari malit; quod, ut ante dictum, ius sacrorum, unde operationes omnes in Ecclesiam emanant, in complexu sit iurium maiestaticorum, ac siccirco in complexu cum reliquis etiam possit exerceri et administrari. Principium enim petunt, quae a nonnullis pro necessitate separati iudicii argumenta afferuntur, quibus dudum ab aliis fuit satisfactum¹⁾. Do et hoc, Principem in constitutione iudicii Ecclesiastici censui causarum non sic adstrictum esse, vt eundem minuere vel augere non possit; id tamen dissimulandum non est, quod, cum omnia praeuidere et sigillatim exprimere humanam industriam fere superet, vtile, imo necessarium

1) Vid. HVLSEMANVM *in breu. theol. c. XIX. n. 19.*
CARPOV. *iur. Eccl. L.I. t. 1. d. 10. n. 14.* WEBER. *c. XLVII.*
quibus respondit Dn. BOEHMER. *iur. Eccl. L.I. t. 28. §. 18. seq.*
Conf. BRVNNEM. *de iur. eccl. L.III. c. 1. §. 3.*

80 DE FVNDAMENTIS CAVSARVM

rium sit, legem figere, quam in non expressis et dubiis sequareis. Nam et inter ecclesiasticum et ciuilem magistratum aliquando tam anceps esse poterit finium regundorum iudicium, vt ex formula concessionis sola terminari nequeat, nisi ad naturam ipsam ecclesiastiarum causarum recurratur, atque ex hac mens concedentis suppleatur.

§. XLI.

Cum vero liberum sit Imperanti, an ecclesiasticas causas iunctim cum secularibus, quod alicubi¹ hodieque fieri certum est, tractari, an easdem separari, et singula genera seorsum expediri velit, ad separationem et tractationem ipsam, quarum vtraque itidem plane arbitraria est, animum intendere conuenit. Separatio quidem bifariam fieri potest, vel stricte, quando utriusque generis causarum, ecclesiastiarum et ciuilium, accurata indagatione instituta, haud plus minusve alterutri Iurisdictioni transscribitur, quam indoles causarum exposcit: vel laxe, si vel ecclesiasticis quaedam adiiciuntur, quae seculares sunt, vel his mancipantur, quae ad illas meliori iure erant referendæ. Nihil enim interest summae potestatis, utra ratione hic agatur, quod separatio classes saltem constituat, non imperium mutet aut iurisdictionem. Deinde separatione quoque facta, tractatio non uno modo solet ordinari. Aliquando enim classe ecclesiastiarum disposita, harum ipsarummet fit diuisio, vt, quae eminentioris sunt potestatis², in quarum delectu arbitrium itidem vtramque paginam facit, in ipsius

1) Vid. STRYKIVM ad BRVNNEM. L. III. c. I. §. 2.

2) CARPZ. L. I. t. I. d. 12. n. 17. quasdam, sunt enim multo plures, nominat.

ipsius Principis consistorio, vel saltem a consiliariis delegatis peculiarem Senatum ecclesiasticum representantibus, dirigantur et decernantur, reliquae vero vel *Collegiis* vicibus Imperantis defungentibus, quae *Consistoria*³ appellamus, vel *subditis* etiam concedantur. Oritur inde distinctio causarum ecclesiasticarum in causas *reservatas*, quae perperam ab aliquibus ad normam episcopalium reservatorum exiguntur, et *consistoriales*, quarum limites a formula instructionis, vel si ambiguitas se exerat, ex interpretatione authentica dependent. Quoties autem facta est segregatio causarum, liberae quidem electionis est, per quos tractatio earum instituatur, quod solam intelligentiam rerum et probitatem spectare necesse sit, ipsa tamen negotiorum indoles consilium suggerit summis imperantibus, ut hic ratio simul habeatur Theologorum, doctrina, pietate et experientia praestantium⁴: quod si fiat, Synodorum etiam necessitas subleuari potest. Apparet autem ex allatis, iurisdictionem Consistoriorum *vicariam* quidem et *subordinatam*, eaque propter Principem ipsi non subiacere, quod inconsulte quidam prodidere, et ad illum liberam patere prouocationem, *ordinariam* tamen esse, quatenus, ordine a legislatoria potestate in perpetuum constituto, in causis suae cognitioni subiectis eam libere exercent⁵. Idem porro qui delegavit, ordinem quoque procedendi praescribit, qui vbi peculiariter non est definitus, regulas communes iudiciarias sequitur.

L

§. XLII.

- 3) Gloriam inuentionis in eis condendis Saxoniae nostrae tribuit MEVIVS P. III. Dec. 415.
- 4) GROT. c. VI. §. 2. Dn. BOEHM. L. I. c. 28. §. 30. Dn. PFAFF. O. I. E. c. IV. art. 2. p. 204.
- 5) Dn. BOEHM. in diff. de Iure Episcopali Princ. Euang. c. III. §. 7.

§. XLII.

Quae *subditis* cum perpetuo iure habendi, (de Commissariis enim non loquor,) rerum ecclesiasticarum tractatio conceditur, duplicitis fere generis conspicitur. Aut enim fit *sigillatim*, concessione vnius vel alterius speciei, verbi causa, vt liceat Patrono vel Magistratui Ministros Ecclesiae Scholaeque ex causa legibus approbata destituere¹; vel *in complexu*, cum potestate iudicium ecclesiasticum exercendi. Hanc non venire sub appellatione *omnimodae Iurisdictionis*² ab aliis pridem est obseruatum; sed de illa, si quis inuestitus sit *mit denen geistlichen und weltlichen Gerichten*, non conueniunt interpretum sententiae³. Qui ius Patronatus innui volunt, ea difficultate premuntur, quod electio cum iurisdictione nihil habeat commune; atque idcirco potius quid intelligi oporteat: contra illis, qui iurisdictionem ecclesiasticam concessam malunt, illud se obiicit, quod de portione notabili τνgl̄ circa sacra quaestio sit, quam auelli natura summae potestatis non patiatur. Omitto alia, quae minus firmitatis habent. Si quid video, agitur hic, non de communicatione partis alicuius iurium maiestatis integrantis, cuius singulos participes fieri, indeoles imperii resistit, sed portunculae tantum illius, et talis quidem, quae iurisdictionis est, non imperii, subordinata quoque, quam fieri posse, supra est demonstratum⁴. Copia igitur iudicij ecclesiastici per inuestituram vel alio titulo facta, eo non iniuria comprehendentur, quae iurisdictionis ordi-

1) STRYK. ad BRVNNEM. L. II. c. 8. §. 30.

2) CARPZ. L. I. d. 3. n. 6.7. HORN. Iur. Feud. c. VII. §. 12.

3) Contra celeberrimos fori nostri ICtos BERGERVM et HORNI-
VM affirmantem sententiam defendit Dn. BOEHM. L. I. tit. 28.

§. 28. 4) §. IV. axiom. 4. sequ.

dinariae sunt in personas et res ecclesiasticas, salua tamen vtique imperantis maiestate.

§. XLIII.

In concessione tacita, quae in *praescriptione* cernitur, maior dubitatio occurrit: nam et quae praescriptibilia sint, et quae praescriptio idonea sit; quaeiri potest. Ad praescriptibilia, quando subditus, iurium maiestaticorum incapax, adquirit, procul dubio ea saltem referentur, quae iurisdictionis sunt ordinariae in personas et res ecclesiasticas, non quae eminentioris potestatis, siue Imperii habentur. Ut enim leges ecclesiasticas ferat subditus, vt dioeceses et parochias definiat, cultum liturgicum ordinet, dies festos et ieunia indicat, synodos cogat, vix erit tolerandum. Ad praescriptionem ipsam quod attinet, immemorialem sufficere existimo. Etsi enim certum fit, eam iuris constituti esse, quo legislator, cum subditis, non sibi legem promulget, nisi legibus a se latis vel receptis sponte se subiecerit, non tenetur, tempus etiam, vt eleganter GROTIUS¹⁾, suapte natura vim nullam effectricem habeat; impossibile tamen est, vt intra tot annorum decursum ad principem nulla rei scientia peruaferit, cuius patientia instar consensus reputatur; vt proinde praescriptioni immemoriali altera, quae gentium iure introducta est, inesse censeri possit. Caeterum illa admissa istud dubium non erit, teneri principem vi legis praepositionis, ex scientia et patientia illorum, quos rebus agendis praefecit. Deinde et ea solummodo praescribentur, quae possidentur, ideoque non complexus iurisdictionis, sed tantum partes possessae.

L 2

§.XLIV.

1) *de I.B. et P. L. II. c. 4. §. 1. Conf. I. 44. §. 2. π. de O. et A. et I. 55. de legat. 1.*

§. XLIV.

Separationem & tractationem causarum ecclesiasticarum comitantur *leges* et *conuentiones*. In *legibus* illud videndum, an ab absoluto imperio, an simul a populi consensu pendeant. Priori enim casu mutabilitatem ex potestate legislatoria, cui integrum est eas figere et refigere, retinent: posteriori autem in vim pacti valent, a quo, nisi utriusque voluntate, recedere nefas dicitur. Eadem ratio est illarum, quae promissionem continent, quam facta acceptatione reuocari non posse inuitis, quorum interest, iuris naturalis ratio postulat. *Conuentiones* duplicis generis sunt, aut enim inter ipsos Imperantes de alterutrius aut utriusque partis subditis, intuitu iurisdictionis ecclesiasticae modique causas eo pertinentes tractandi, aut inter imperantem et subditos ineuntur. Illis, cum sola iuris gentium simplicitate regantur, subditis ius quaeri, citra controuersiam est: utrasque vero religio pacti sanctas reddit et inviolabiles.

I) Conf. G R O T. L. II. c. 20. §. 24.

Nota: fol. 19. §. VII. lin 14. post verba: *particularium primi generis*, inferendum: *priuatarum*.



Coll. diss. A. 5, misc. 49